Schneider, L. Cornelii Sisennae
Historiarum Reliquiis

DE

L. CORNELII SISENNAE

HISTORIARUM RELIQUIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINI

PROPOSUIT

ADOLFUS SCHNEIDER
THURINGUS

JENAE
TYPIS JULII HOSSFELD
MDCCCLXXXII

EDUARDO MEYER

DOCTORI LIPSIENSI

GRATO ANIMO

D. D.

SCRIPTOR.

Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra id quod veri simile occurrerit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus.

Cic. Tusc. II 2, 5.

De L. Cornelii Sisennae historiis etsi iam Riesius [1]) quaestionem instituit, qua cum plura eius fragmenta ad certas res, duo ad suos libros revocavit, tum quae singuli libri continuisse viderentur, demonstrare conatus est, tamen operis illius reliquiae nondum ita illustratae sunt, ut non nova in eas studia conferri possint. Neque enim Peterus [2]), quamvis bene de colligendis et disponendis historicorum Romanorum fragmentis meritus sit, ad explicanda Sisennae fragmenta multum attulit, acquiescens fere in coniecturis, quas iam Popma [3]), Kienius [4]), denique Riesius proposuerant. Quo factum est, ut plurima illius fragmenta adhuc careant interprete. Porro viri docti vel ii, qui fragmenta nonnulla explicaverunt, vel ii, qui quale fuisset illud historiarum opus quaesiverunt, inter se dissentiunt. Accedit quod nondum exstitit, qui sententiis, quae et de Sisennae historiis et de singulis fragmentis adhuc prolatae sunt, collectis omnibus iudicaret, quaedamne earum vel supplendae vel corrigendae essent.

Quae cum ita sint, grata nescio an opera mea est, si de Sisennae fragmentis denuo quaeram neque de ratione, quae inter eum et historicos aetate inferiores intercedat, neque de sermonis Sisenniani proprietatibus, quae quidem ad rem illustrandam pertineant, disputare praetermittam.

Quod tamen facturo mihi praemonere liceat, ne credas, me spe teneri, fore ut in tractanda hac quaestione non unquam in errores inciderim. Nam Sisennae fragmenta, quae maximam par[illegible] ad bellum Marsicum et bellum civile primum revocanda sunt [illegible]

1) A. Riese, Ueber d. Geschichtswerk d. L. Corn. Sisenna, [illegible] schrift z. Begrüssung d. 24. Philologenvers. etc. zu Heidelberg. (1865), p. 53 sq. 2) H. Peter, Historic. Rom. relliquiae vol. 1, 1870. 3) Ausonius Popma, Fragm. histor. vet. Latin. Amstelod. [illegible] 4) A. Kiene, Der röm. Bundesgenossenkrieg.

storiae Romanae attingunt aetatem, quae, cum plurimi libri deperierint, satis obscura et multis fabulis exornata nobis prodita est. Quare Riesius (l. s. s. p. 64) suo iure dixisse videtur, vereri se, ut multa illius fragmenta, cum ad res spectent, quarum ne ulla quidem memoria servata sit, certa ratione explicari possint. Quamquam quid interest, utrum de fragmentis, quae ex pugnarum descriptionibus petita sunt, unum vel plura huic pugnae, an illi tribuas, cum plurimas has descriptiones fictas historicorum ingenio fuisse sciamus? Deinde ex accurata scriptorum, qui eadem atque Sisenna tempora attigerunt, comparatione sine dubio similitudines quaedam inter eos reperiuntur, quibus hoc vel illud fragmentum Sisennae aliqua cum probabilitate ad certam pugnam referri possit. In fragmentis autem, quae ad domesticas Romanorum res pertinent, illustrandis non plane errasse et quodammodo perspexisse, quatenus res bello gestae cum domesticis illis cohaeserint, satis habemus.

Sed priusquam ad propositum accedamus, placet explicare, quomodo et qualia Sisennae fragmenta memoriae tradita sint. Constat ea cum aliis scriptoribus tum Nonio Marcello deberi, grammatico illi et stultitia et neglegentia pariter infami. Varie autem fragmenta nobis prodidit Nonius, ita ut saepius *totas series eorum*, id est plura ex eodem plerumque libro uno loco deinceps enarraret, veluti ex tertio historiarum libro haec:

fr26(24)[1] p. 141, ed. Merc. *maceriae* [parietes] Sisenna historiarum lib. III: Post villarum macerias ac parietinas quinque cohortes in insidiis reliquit.

fr. 47 (31) *manipulatim*, collecta manu. Sisenna historiarum lib. III: Requiescendi spatium nacti, quum densiores manipulatim resistere hostibus instituissent.

fr. 48 (18) *multifariam*, partibus multis. Sisenna historiarum lib. III: Quod loca, palustria quae erant, et alte multifariam confossa.

aut *singula* Sisennae *fragmenta* cum locis ex aliis scriptoribus, ut ex Cicerone desumptis conjungeret:

p. 125. *infestum* mare haberet, pro latrocinando infestaret. M. Tullius de republica lib. III: Nam quum quaereretur ex eo, quo scelere compulsus mare haberet infestum uno myoparone: Eodem, inquit, quo tu orbem terrae.

1) numeris uncis inclusis significatur ordo, quo Peterus fragmenta enumeravit p. 277 sq.

imbrices ac tegulas Sisenna historiarum lib. III: Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum. fr. 11 (11)

impigritas, pro impigritia. M. Tullius de republica lib. III; Nunquam viri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiae —

Demonstratum autem est a viris doctis [1]), qui quae esset Nonii operis ratio quaesiverunt, eum in congerendis 'compendiosae doctrinae' copiis ita versatum esse, ut *omnia testimonia ab eodem scriptore petita in ea serie, quam efficiant, prorsus eodem ordine proferret, quo apud ipsum auctorem lecta essent.* Sufficit ex Schmidtii dissertatione attulisse ordines Nonii hos: Schmidt, p. 22: Non. p. 85, 25:

lemma casteria **Plaut.** Asin. III, 1, 16,
coquinatum Plaut. Aul. III, 1, 3
curio Plaut. Aul. III, 6, 27.

p. 32: Non. p. 509, 3:

lemma deplorabundus Plaut. Aulul. II, 4, 38
coctum Plaut. Aulul. II, 4, 46
macet Plaut. Aulul. III, 6, 28.

cf. Non. p. 43, 11 p. 539, 11; apud Schmidt. pgg. 21 et 33.

p. 48: Non p. 13:

lemma austra **Lucr.** V, 515
veterina Lucr. V, 862
crepera Lucr. V, 1294.

sq.

p. 82: Non. p. 29:

lemma pedetemtim **Tull.** de off. lib. I § 120
Lucil. Sat. lib. XXVII
Quadrigarius Annal.
Caelius
calces Vergil. lib. V
idem lib. X
subligaculum Tull. de off. lib. I § 129
mediocritas Tull. de off. lib. I § 130
Lucil. Sat. lib. XXVII
Terent. Andria

1) M. Hertz, Fleckeisen's Jahrb. 85, (a. 1862) pag. A. Riese, Symb. phil. Bonn. II, p. 479 sq. A. Schottmüller, 809 sq. P. Schmidt, De Nonii Marcelli auctoribus grammatici 1868.

Cicero [1]) Tuscul.
modestiam Tull. de off. lib. I § 142

p. 90: Non. p. 435, 14:
lemma turpe et foedum Tull. de off. I § 123
formae et figurae Tull. de off. I § 126
dignitatem et vetustatem Tull. de off. I § 130

p. 86: Non. p. 127, 33:
lemma inanima Tull. de off. II § 11
indolentiam Tull. de off. III § 12
indicare Tull. de off. III § 62

p. 97: Non. p. 125, 27:
lemma inconsulti **Vergil.** Aen. III, 452
inluvies Vergil. Aen. III, 593 sq.

p. 98: Non. pag. 459, 26:
lemma nidos Verg. Georg. IV, 16
imbres Vergil. Georg. IV, 114
pecudes Vergil. Georg. IV, 327 Varro. Sexag.
pacem Vergil. Georg. IV, 168 idem Aen. III
profundum Vergil. Aen. I, 58
procacitatem Vergil. Aen. I, 536 sq.

Hic igitur ordo quoniam in exemplis scriptorum, qui aetatem tulerunt, cernitur, etiam in Sisennae locis statuendus erit. Dubitari enim vix potest, quin Nonius p. 141 quos iam supra citavi locos Sisennae, qui titulis 'maceriae — multifariam' continentur, eodem ordine, quo fuerint in Sisennae libro historiarum tertio protulerit. — Sed quamvis sciamus, quis fuerit verborum ordo in singulis Nonii partibus, tamen, quae ratio cum inter ipsa illa fragmenta 26 (24), 47 (31), 48 (18), tum inter alia eiusdem libri veluti 37 (43) et 38 (47) intercedat, ignorari Peterus recte intellexit (p. CCCXXXV).

Quamquam illis Nonii ordinibus facultas nobis data est explorandi, quae fuerit olim Sisennae in rebus enarrandis dispositio.

---

1) cf. Schmidt, p. 92.

Nonii enim seriem, quae exstat p. 91 [1]), si in singulas partes dividimus, apparet, res libro quarto descriptas esse ordine hoc:

concubia nocte, primi somni [tempore] Sisenna historiarum lib. IV: ipsi legati, concubia nocte oppido digressi, iam *supra* hostium munitionem succedunt. fr. 68 (93)

Hos legatos ad hostes, quod consilia de civitate sociis danda Romae habita sunt, fortasse missos esse infra videbimus.

cistas. Sisenna historiarum lib. IV: cistasque, quae erant legum ferendarum gratia *paratae*, deiecerant. fr. 73 (118)

Sine dubio verba ad turbas pertinent, quae, dum suffragii latio exercetur, Romae ortae sunt.

centones et cilicia. Sisenna historiarum lib. IV: puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur. fr. 75 (107)

Fragmentum ad pugnam navalem referendum videtur esse.

crebritudinem, pro crebritatem . . . . .

[*celeritudinem,* pro celeritatem] Sisenna historiarum lib. IV: Nam clandestina [cum] *celeritudine* transigi, apud notos cogitata dici decet, non explanari. fr. 80 (122)

Verba haec vel in contione aliqua dicta vel scriptoris esse possunt, qui de re quadam sane nobis ignota secum considerat.

caementa, lapides non magni modi, quibus aedificia consurgunt. Sisenna historiarum lib. IV: Formidine oppressus, quod humilem caementis instructum oppidi murum sciebat. fr. 82 (79)

Agitur de re in obsidione urbis facta. —

Atque ex his, qui exstant pgg. 107 et 449, Nonii ordinibus conicere iuvat, quam dispositionem Sisenna libro IV servaverit:

p. 107. *Ergo* positum pro causa. Vergil. Aen. lib. VI (v. 670) Sisenna historiarum lib. IV: Milites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donari. fr. 44 (120)

enixim, pro enixe. Sisenna historiarum lib. IV: Ego illos malos et audaces semper enixim contra fortunas atque honores huius ordinis omnia fecisse ac dixisse sentio. fr. 105 (110)

exinanita [evacuata] Sisenna historiarum lib. IV: Denique exinanitis castris, Romani qui clauso se loco potuerant expedir-

p. 449. *silentium* fieri consuetudine sumptum est. Siser de contrario historiarum lib. IV, oriri: Silentium oritur.

---

1) ap. Quicherat, p. 93, cuius edit. hoc loco secuti sumus. 2) A

caecum, non solum oculis captum, sed et insidiosum et occulte malum et tacitum vel latens quid, dicendum veteres aestimaverunt.
fr. 76 (104) Sisenna historiarum lib. IV: Subito mare subhorrescere caecosque fluctus in se provolvere leniter occepit. Vergilius Aeneidos lib. VI, v. 30.

labra non hominum solum, sed et margines vel fines dici posse, auctoritas persuadet. Nam et labruscam genus esse erraticae vitis volunt, quae in saepibus et in labris agrorum et in
fr. 79 (103) terminis nascitur: ut Vergilius in Bucolicis [5, 7]. Sisenna historiarum lib. IV: *Innixos* trementibus artubus *repentes* extrahi, atque in labro summo fluminis caelo albente.

Discimus enim etiam ex hoc verborum ordine, historicum libro IV nisi omnes res domesticas, certe tamen earum partem ante bello gestas descripsisse. Nam ut fr. 73 (118) ordinis in p. 91 compositi, ita fr. 105 (110) et fortasse (?) fr. 74 (121) ad res domesticas, cetera autem ordinum (pgg. 91, 107, 449) fragmenta ad bellum pertinent. Neque enim timemus, ne, quod p. 449 *glossae a diversis litteris incipientes* deinceps adhibentur, coniectura nostra infirmetur. Haec potius comprobatur ratione, qua maxime exempla Ciceroniana enumerantur, veluti haec:

Schmidt p. 90 Non. p. 443:

lemma	furor ab insania	Cic. Tusc. III, § 11.
	confidentiae	Tull.[1]) Tusc. III, § 14.
	invidia	Cic. Tusc. III, § 20.
		idem lib. IV.
	aegrotatio	Cic. Tusc. III, § 23.
	iracundus	Cic. Tusc. IV, § 2.
	laetari	Cic. Tusc. IV, § 66.
	pernicitatem	Cic. Tusc. V, § 45.
		Vergil. Georg. III.
	metum	Cic. Tusc. V, § 52.

cf. etiam ordines, quos supra enarravi.

Errat igitur si quis omnino neget, in ordinibus illis scriptorum testimonia non eodem proferri ordine, quo hodie etiam a nobis leguntur, quae quidem ex libris servatis petita sint, nisi eorum lemmata ab eadem incipiant littera.

---

cedit exempl. ex lib. III petitum fr. 54 (23). 1) cf. hui. diss. p. 8 annot.

Quae modo disserui si reputaveris, Sisenna etiam in tertio historiarum libro similem dispositionem secutus esse putandus est.

Sed quamquam Nonius nullam seriem locorum ex libro III praebet, ex qua eius dispositio tam accurate quam libri IV intellegi queat, tamen non desunt, quibus re vera illud factum esse veri simile videri possit, indicia. Placet conferre ordines hos, quorum quemque verba Sisennae ita, ut legebantur deinceps in ipso eius opere, adhibere ex Schmidtii quaestione satis apparet:

p. 130 *in populum*, pro ad populum Sisenna historiarum lib.
III: Servulum eius praemio libertatis inductum magno cum tu- fr. 37 (43)
multu conventum in populum produxit armatum.

immissum, pro demissum, prominens et longius pendens. Si-
senna historiarum lib. III: Quum complures menses barba im- fr. 38 (47)
missa et intonso capillo.

p. 141 *maceriae* [parietes] Sisenna historiarum lib. III: Post fr. 26 (24)
villarum macerias ac parietinas, quinque cohortes in insidiis
reliquit.

manipulatim, collecta manu. Sisenna historiarum lib. III: Re- fr. 47 (31)
quiescendi spatium nacti quum densiores manipulatim resistere
hostibus instituissent.

multifariam, partibus multis. Sisenna historiarium lib. III
Quod loca palustria quae erant et alte multifariam confossa. fr. 48 (18)

p. 161. *praefestinatim* [festine]. Sisenna historiarum lib. IV:[1])
Iidemque perseveraverunt, uti lex perveniret ad quaestorem, ac fr. 42 (117)
iudices, quos vellent, instituerent praefestinatim et cupide.

praestolari est exspectare vel manere. Sisenna historiarum lib.
III: Occulti tacitique adventum cohortium praestolari occipiunt. fr. 27 (25)

permittere, pro mittere, incitare vel praecipitare. Sisenna hi-
)storiarum lib. III: Et inde equum concitatum princeps ad hostium r. 46 (32
permittit aciem.

Iam quis non videt, fragmentorum, quibus continentur hi ordines, tria 37 (43), 38 (47), 42 (117) ad res domesticas spectare, cetera ad bellum sociale, duo autem illa, quibus de insidiis sermo est, 26 (24), 27 (25), in Sisennae libro quam proxime se excepisse? Quare, *si coniicere licet,* fr. 37 (43) et 38 (47) ordinis Non. p. 130 prius apud Sisennam lecta esse, quam fragmenta ordinum pgg. 141 et 161 exstantium, deinde si fr. 26 (24), et 27

---

1) Riesius recte coniecit, pro lib. IV scribendum esse lib. III (p. 58)

(25) propter rei similitudinem recte componimus, denique si ad ordinem restituendum Riesio auctore (p. 58) in serie p. 161 fragmenti primi numerum IV in III mutamus, tribus his ordinibus ita coniunctis *facile credideris*, Sisennam libro III, vel parte eius deinceps narrasse haec[1]:

fr. 37. (43) 38. (47) Non. p. 130 42 (117) Non. p. 161

res domi gestas

fr. 26 (24) Non. p. 141 27. (25) Non. p. 161.

caedem Caepionis

fr. 46. (32) Non. p. 161. 47. (31) 48 (18) Non. p. 141

pugnas alias.

Apta enim plurium ordinum coniunctione novam efficere seriem nobis licere haud dubie demonstratur Ciceronianis apud Nonium ordinibus his:

Schmidt, p. 86, p. 130, 14:

lemma iactuose Cic. or. § 125. . . . . . .
incisim Cic. or. § 213
importatum Cic. de or. I § 38. . . .
infitiatores Cic. de or. I § 168
insignite Cic. de or. II § 349
invitus Cic. de or. II § 364

p. 87. p. 142, 10:

lemma magniloquentia Cic. or. § 191 . . .
ministratrix Cic. de or. I § 75 . .
male audiam Cic. de or. II § 305
multitudo Cic. de or. III § 73 .
idem in eodem
sq.

p. 162. 9:

lemma petulantiam Cic. de or. II § 305
pressu Cic. de or. III § 43 . . . .
sq.

cf. ordines exempl. Cic. Non pgg. 29 et 435, apud Schmidtium pgg. 82 et 90.

Sed haec hactenus de exemplorum Sisennianorum apud No-

1) Vides tamen in enumeratis infra fragmentis nos huius coniecturae rationem non habuisse; cf. quae supra p. 8 dixi.

nium ordinibus, qui quidem ad historici dispositionem pertineant. Neque enim reliqui, quos — ne munus susceptum non explevisse videamur — afferre liceat [1]) ad illam cognoscendam sunt idonei:

Non. cap. I p. 57 fr. 9 lib. II. 23 (33), 24 (14) lib. III. 94 (73), 108 (52), 112 (68) lib. IV.

cap. II p. 68 (lit. a.) fr. 60 (116), 61 (94) lib. IV. p. 101 (lit. d.) fr. 21 (35) lib. III; idem 22 (134). p. 113 (lit. f.) fr. 86 (60), 87 (86) lib. IV.

cap. III p. 195 (lit. c.) fr. 91 (61), 93 (70) lib. IV.

cap. IX p. 502, fr. 18 (30), 19 (42) lib. III; idem 20 (135).

cap. XI p. 516 fr. 56 (28) lib. III. 126 (101) lib. IV.

cap. XVIII p. 556 fr. 13 (20) lib. III [idem lib. IV fr. deperiit] [2]) 17 (29) lib. III; idem 90 (71) lib. IV. 117 (83), 120 (81), 121 (82) lib. IV.

Praeter hos autem *ordines*, qui uno excepto (fr. 9 ex lib. II) exemplis ex libris Sisennae tertio et quarto petitis continentur, Nonius *permulta fragmenta* ex iisdem fere scriptoris libris attulit, ut ei plus centum viginti debeantur. Sunt ea *dispersa nec raro inserta ordinibus, qui frustulis ex aliorum scriptorum* cum Attii, Pacuvii, Ciceronis, Vergilii, tum Plauti et Sallustii libris desumptis *efficiuntur*. Jam talem exemplorum collocationem non casu factam esse, sed potius ad fontium, quos adhibuit Nonius, rationem spectare vix est, quod moneam. De fontibus enim eius, qui utrum commentarii aut glossaria fuerint, necne, nunc non quaeritur, iam Schmidtius accuratius disputavit. Id tamen unum addiderim, iusto dubitari iure, isne Nonii fons, cui fragmenta Sisennae accepta rettulerit, ipsum fuerit Sisennae opus. Nam Nonium parum curasse, ut auctores, quos citaret, inspiceret ipsos, ratione, qua Gellium exscripsit, dilucide declaratur [3]). Deinde cur ille tot exempla ex libris historiarum III et IV peteret et alios paene neglegeret libros? An duos illos tantum cognoverit, qui propter ea, quae continebant, tum exstabant? Res sane prorsus incerta. Sed Nonio, qua fuit neglegentia de verbis ab eo transcriptis caute fides habenda est. Ut enim Gellium obiter excerpsit, ita magnam illam

1) Peterus ordines solos, qui in primis duobus Nonii capitibus inveniuntur, composuit pgg. CCCXXXIV et CCCXXXV. Schmidtius etiam eos qui in reliquis capitibus leguntur pgg. 133—136. Nos tamen omisimus locos singulos, ubi *singulae glossae* pro *totis ordinibus* positae sunt. 2) Peter. p. CCCXXXIII ann. 3) cf. Hertz, l. s. s. p. 722 sq.

copiam fragmentorum a duobus illis libris petitorum parum accurate tradidit. Nam fragmentum idem, quod p. 423 tertio, p. 449 quarto libro tribuit fr. 76 (104) et Sisennae verba saepius citavit ex eius — 'historiae libro' pro 'historiarum libro' vel ex 'historiographo'[1]). Atque dolendum est, quod plerique loci totam sententiam non exhibent, sed enuntiati frustula tenuissima. Quid mirum, quod fragmenta Sisennae corruptissima ad nos pervenerunt? Quapropter ea Peteri, qui plura eorum emendavit, recensione infra enumerabimus, additis etiam lectionibus variis, quae quidem opus esse nobis videantur. In disponendis autem fragmentis Nonii ordinis [2]) quantum fieri potest, ratione habita locos cum ex rerum similitudine composuimus, tum probabiliter ad certas res revocatos iis, qui obscuriores sint vel omnino careant interpretatione, praemisimus. Ita enim fit, ut quae in singulis Sisennae libris narrata fuerint facilius perspicias. His praemissis ad rem ipsam aggrediamur.

1) Item Nonius Sallustii historiarum locos affert: Sallustius historiae lib. vel historiarum lib. vel hist. lib. cf. pgg. 186, 229, 235, 236 al.
2) Hunc enim Peterus consilio omisit cf. p. CCCXXXV.

Caput I

Ad quas res singula Sisennae fragmenta revocari possint ex eisque, quae quisque historiarum liber continuerit, demonstratur.

§ 1.

De primi et alterius libri reliquiis et argumento.

A. Reliquiae.

Liber I.

1.

Serv. ad Verg. Aen. I, 242. Aeneas et Antenor Troiam prodidisse dicuntur secundum Livium — Sisenna tamen dicit, solum Antenorem prodidisse [Troiam] — Ob hoc autem creditur Graecis Antenor patriam prodidisse, quia [sicut superius dictum est et auctor reddendae Helenes] et legatos, qui propter Helenam venerant, suscepit hospitio, et Ulixen mendici habitu agnitum non prodidit. vid. Liv. I, 1. init. cf. Serv. ad. Aen. I, 647.

2.

Serv. ad Verg. Aen. XI, 316. Unde sequenda est potius Livii, Sisennae et Catonis auctoritas. Nam paene omnes antiquae historiae scriptores in hoc consentiunt. Cato enim in originibus dicit, Troianos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Troiana. cf. Cato fr. 8 P. Liv. I, 1.

Haec verba ad Troianorum in Italiam adventum pertinent. Quod Vergilius antiqua illa fabula utitur, Servius adductus e ut eam etiam apud historicos illos quaereret. Is autem ag quem Latinus Troianis donasse narratur, idem quod Home τέμενος dicit (Il. VI, 193—96) fuit.

3.

Nonius s. v. iuxtim p. 127 Sisenna ab urbe condita iuxtim Numicium flumen obtruncatur.

Verba 'ab urbe condita' cum in codice Nonii Parisino n. 7667 sic: interpuncta sint, Riesius adductus est, ut hoc loco peculiare Sisennae opus, quod inscriptum fuerit 'ab urbe condita' significari crederet (p. 56). Ad hoc etiam fr. 1, 2, 4 revocavit. Putavit enim, exemplum illius tituli 'ab urbe condita' ante Livium hic exstare vetustissimum. Atque fuit haec inscriptio haud inusitata, cum Tacitus 'ab excessu divi Augusti' sedecim libros composuisse videatur et Plinius maior natu eadem loquendi consuetudine historiam suam inscripserit 'a fine Aufidii Bassi'. Videamus num Riesio sit assentiendum.

Apparet ex primis duobus fragmentis Sisennam ab antiquissimis temporibus esse exorsum, deinde ex fr. 4, eum foedus Romanorum cum Afris ictum commemorasse. Fragmentum autem 3 iam Popma probabiliter revocavit ad Aeneam, quem proelio Latinorum contra Rutulos et Etruscos inter se coniunctos commisso occisum et supra Numicum fluvium situm esse apud Romanos fama erat. cf. Liv. I, 2. Quapropter aut etiam fr. 1, 2, 4 ad Sisennae opus, quod erat inscriptum 'ab urbe condita', pertinent aut fr. 3 historiarum libro est inserendum. Nam in editione Nonii Basiliensi verba illa 'ab urbe condita' cum sequentibus sine interpunctione coniuncta sunt: inde conici posse videtur, ea pro titulo non habenda, sed ex continuo narrationis textu esse desumpta. Quod inepte fieri Riesius contendit. Nam, si interpunctio illa vera esset, vel 'a Lavinio condito' vel 'ab oppido condito', cum Aeneas urbem Romam non aedificasset, fuisse scribendum. Sed nonne fieri potuit, ut Sisenna eorum sententiam probaret, qui Romam statim post adventum Aeneae conditam esse arbitrati sunt, ut Sallustius, qui Sisennae vestigia pressisse videtur?

Deinde 'ab' vocabulum, si quis in eo offenderit [1]), aut Merceri et Guyeti coniectura delere aut cum Quicherato in 'at' mutare

---

1) Cogitet quispiam verba 'Sisenna ab urbe condita' profecta esse a neglegentia Nonii, qui in fonte suo legerit fere haec: De Aeneae morte varie tradiderunt scriptores:

Sisenna [historiarum l. I: iuxtim Numicium flumen obtruncatur.	Livius l. I] ab urbe condita: situs est quemcumque eum dici ius fasque est super Numicum fluvium.

licet. Negaverim igitur potius. fr. 3 ad aliud quoddam Sisennae opus, cui erat nomen 'ab urbe condita', ex quo etiam fr. 1, 2 4 hausta sint, pertinere, sed putaverim, quattuor haec fragmenta historiis esse inserenda.

4.

Serv. ad Verg. Aen. I, 108. Haec autem saxa inter Africam, Siciliam et Sardiniam et Italiam sunt, quae saxa ob hoc Itali aras vocant, quod ibi Afri et Romani foedus inierunt et fines imperii sui illic esse voluerunt — quae arae a Sisenna propitiae vocantur.

Apertum est, foedus hic commemoratum unum ex eis esse, quae Romanos et Carthaginienses ad navigationem commerciumque certa ratione exercenda fecisse constat. Cf. Vollmer, Mus. Rhen. 32, 622 et quae contra eum dicit Melzer. Gesch. d. Carthager I, 530, qui Servii verba 'fabulas interpretis' vocat.

vid. Plin. nat. hist. V, 7, 7: Contra Carthaginis sinum duae Aegimuri Arae, scopuli verius quam insulae, inter Siciliam maxime et Sardiniam.

5.

Cicer. de divin. I, 44, 99. Caeciliae Q. filiae somnio [1]) modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum. Quod quidem somnium Sisenna cum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse, tum insolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus disputat, somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse et sanguinem fluxisse et discessisse caelum et ex occulto auditas esse voces, quae pericula belli nuntiarent, et Lanuvii clipeos, quod haruspicibus tristissimum visum esset, a muribus esse derosos [2]).

[1]) De somnio Caeciliae, quae erat Q. Caecilii Metelli Balearici cos. a. u. 630/124 filia, vid Iul. Obsequens c. 55 (ed. Jahn).

[2]) Eadem ostenta repetit Cicero II, 27, 58. cf. II, 25, 54. Quibuscum conferre iuvat, quae prodiderunt Strabo VI, 1, 6, Plin. n. h. VIII, 221, Iul. Obseq. c. 54. Orosius V, 18 Augustinus, de civit. dei III, 23. Plut. Sulla c. 6.

6.

Non s. v. protinus p. 376 Sisenna historiarum lib. 1: Nocte consumpta postero die per incertas vias Aeserniam, inde Romam protinus profugerant.

Riesius (p. 55) haec verba ad initium belli socialis pertinere ratus, Romanos intellegit, qui vel ex Apulia vel ex Samnio interiore, priusquam Aesernia ab hostibus obsideretur, exeunte a. 663/91 fugerint.

Peter (p. 278), si in libri numero offendere liceat, fragmentum revocat ad proelium, quo L. Julius Caesar consul prope Aeserniam a Vettio Catone victus in fugam conversus est.

vid. Appian. de b. c. I, 41: *Οὐέττιος μὲν Κάτων Σέξτον*[1]) *Ἰούλιον τρεψάμενός τε καὶ δισχιλίους κτείνας ἐπὶ Αἰσερνίαν ἤλασε ῥωματζουσαν.* et Oros. V, 18: Julius Caesar Samnitium pugna victus caeso fugit exercitu. Paulo inferius enim habet Orosius enuntiatum hoc: 'postquam apud Aeserniam victus aufugerat.'

Haec autem clades, quam Caesari a. 664/90 illatam esse constat, vix primo Sisennae libro narrata fuit, sed potius in libro eius secundo vel demum tertio. Nam Livius res a tribunatu Drusi usque ad hiemem, quae inter annos 663/91 et 664/90 intercessit, gestas plus duobus libris (70 exeunte, 71, 72) descripsit et libro 73 ad res a. 664/90 enarrandas accessit. Fragmenti igitur numerus I facile mutari potest in II vel III. Sed nescio an Riesii coniectura praeferenda sit, cum mihi quidem Appiani verba '*ἐπὶ Αἰσερνίαν ἤλασε*' et Orosii 'apud Aeserniam — aufugerat' cum Sisennae verbis non ita componi posse videantur, ut ad unam candemque rem pertineant. Verisimilius enim esse puto, Romanos intellegi, qui seditione Asculi orta, cum etiam Samnites vel alia gens finitima moveri coepissent, ex eorum finibus fugere coacti sunt, quam copias illo proelio fusas, quae Romam petunt.

liber II.

7.

Macrob. sat. VI, 4, 15. Sed et Sisenna in secundo dixit: Et Marsi propius succedunt atque ita scutis proiectis tecti saxa certatim † lenta manibus coniciunt in hostes.

De verbis corruptis cf. Lud. Janus, Macr. oper. ed. vol II. p. 522.

Verba pertinere videntur ad Marsorum expeditionem, quam

---

1) De Caesaribus illis duobus Sexto Iulio et Lucio Iulio ab Appiano inter se confusis vid. Kiene p. 204. cf. etiam apud eum p. 194.

hi, ut aliae gentes hieme a. 663/91 et 664/90 susceperunt, ad minores Romanorum copias per Italiam dispersas finibus expellendas. Fortasse agitur de pugna apud Albam Fucentiam facta, quae urbs munita cum a Romanorum staret partibus (cf. Liv. epit. 72) Marsis expugnanda erat.

8.

Macrob. ibid. Et in eodem [Sisenna]: Vetus atque ingens erat arbor ilex, quae circum proiectis ramis maiorem partem loci summi tegebat.

9.

Non. s. v. remulcare p. 57 Sisenna historiae lib. II: Si qua celeriter solvi poterat, in altum remulco retrahit.

Correxit Riesius (p. 58) libri numerum II in III, quia Nonius nusquam in altero[1]) capite exemplum Sisennianum ex libro II coniunxit cum exemplis ex libris III et IV petitis. Sed nonne id casu accidere potuit? Verba autem ad rem navalem revocanda sunt.

B. Argumentum

Quae narraverit Sisenna primis duobus libris quamquam ex eorum fragmentis perpaucis non plane apparet, tamen ex libri tertii reliquiis satis accurate licet conicere. Ac primum quidem de prooemio operis dicendum est, quod quale fuerit, num ab antiquissimis, an a posterioribus urbis temporibus inceperit, viri docti in controversiam vocaverunt. Et Rothius[2]) quidem Sisennam eadem ratione, qua Sallustium in 'Catilinae' prooemio explicasse arbitratur, quomodo respublica condita, agris, civibus, moribus aucta, cum mores paullatim lapsi essent et cives cupidine pecuniae et imperii incensi luxuriae, ambitioni, avaritiae se dedissent, praeceps ad interitum ruisset.

Quod probabile esse Riesius negavit (p. 56): Sisennam descriptioni belli socialis avaritia et superbia optimatium et nobilitatis conflati, horum cum partes ipse sequeretur, tale prooemium praemittere non potuisse, nisi veras belli causas nobilitati parum honorificas aut reticere aut extenuare et benignius interpretari voluisset. Nam Nonii verbis fr. 3 Sisenna ab urbe condita aliud

1) Nam in primo Nonii capite exstant praeter ordinem (p. 57), cuius est fr. 9, duo tantum fragmenta, ex libro IV petita. 2) C. L. Roth in histor. reliqq. in Sallustii edit. Gerl. recept. 1852 p. 369 sq.

quoddam opus, cui etiam fr. 1 2 4 tribuenda sint, non historias significari. Quare ille Sisennam in historiis componendis a legibus, quas Livius Drusus tribunus ille plebis, tulisset, exorsum esse coniecit.

Has sententias si comparamus, fatendum est, neque hanc neque illam certis testimoniis confirmari, tamen Rothii, quam sequuntur Gerlachius, Teuffelius [1]), Peterus [2]) probabilior videtur esse, quam Riesii. Inveniuntur enim apud Sallustium [3]) et Diodorum [4]) vestigia, quae eos in describendo bello Italico vel priusquam hoc narrarent, quod moribus civium depravatis luxuria, libidines, alia vitia invaluissent, questos esse docent. Cur igitur fieri non potuerit, ut Sisenna ad universas has reipublicae labentis res rediret, a quibus illius belli causas repeteret? Hac enim inita ratione quasi vindex optimatium partium videri potuit, si populares tum eis, quod superbia et avaritia socios ad arma capienda incitassent, probro vertebant. Deinde Sisenna haud dubie et ex priorum temporum historia intellegi posse sibi persuasit et ipse vel adolescens vidit, populares plerosque vili et corrupta, qualis illa aetate erat, multitudine abusos esse atque civitatem in maximas calamitates adduxisse et in summa discrimina.

Sed gravior controversia est, quod Riesius contra Rothium negat, Nonium fr. 3 ex Sisennae historiis et ex peculiari eius libro 'ab urbe condita', ad quem etiam fr. 1, 2, 4 referenda sint, attulisse contendit. Quâe enim Servius et Nonius de antiquissimis rebus commemorant, ea non solum in initio operis, sed etiam in quavis historiarum parte narrata esse potuerunt [5]). Sed res omnino dubia et incerta est. Neque enim Peter probabiliter eam solvit (p. CCCXXVIIII). Monuit historicis veteribus morem fuisse singulos quosdam libros propter res, quae in eis continerentur, peculiari notandi inscriptione [6]), inde fieri potuisse, ut etiam Sisenna vel Nonius historiarum libro primo proprium hoc daret nomen 'ab urbe condita'. Huic sententiae primum obstat, quod Sisenna iam libro primo ad bellum Marsicum processit, deinde quod

---

1) Teuffel, Hist. liter. Rom. ed. III p. 255, 3. 2) Peter, l. c. p. CCCXXVIII. 3) Sallust. hist. fragm. lib. I, 10—13 ed. Kritz. 4) Diod. fragm. lib. XXXVII, c. 3 sq. ed. Dindorf. Teubn. 5) Ita Krausius adductus est, ut Sisennam in prooemio libri VI, ubi incepisset de rebus Sullae gestis dicere, antiquissima tempora perstrinxisse putaret. vid. A. Krause, Vit. et fragm. vet. historic. Rom. p. 301. 6) cf. Peter, p. CLXVIII.

Nonius, quo erat nemo grammaticus levior, haud facile illam operis partem ita a reliquis distinxit. Dubium praeterea est, utrum Nonius Sisennam ipsum cognoverit necne, nisi certum, hunc ab illo plane ignoratum esse.

Atque ne priorum virorum doctorum sententias silentio praeteream, Popma, quod fr. 3 ad Aeneae mortem rettulit, putasse videtur, Sisennam bellum Marsicum scripturum prius narrasse Aeneae adventum in Italiam, quod Alexander Ephesius [1]) fecit belli illius libro I. Deinde Krausius [2]) opinatus est, Sisennam et Claudium Quadrigarium aequales operum suorum a secunda urbis origine, id est a Camillo, postquam a Gallis capta et diruta est, restituta — initium fecisse, fortasse quod res incertiores repetere noluissent. Quod de Claudio recte dixisse Krausium vel prima illius fragmenta docent, Sisennae tamen ne unum quidem exstat, quo inde ab illo urbis incendio historicum exorsum esse possit concludi [3]). Neque doctus ille vir quo loco uberius de Sisenna disputavit [4]) hanc sententiam repetiit.

Hae sunt maxime coniecturae de Sisennae prooemio adhuc prolatae. Quamquam cuique earum vis aliqua tribuenda est, tamen e fragmentis servatis id colligi posse videtur, Sisennam usitatum illum scriptorum Romanorum morem ab urbis origine exordiendi retinuisse et inde res graviores neglectis levioribus usque ad bellum Marsicum breviter perstrinxisse.

Iam quibus causis bellum sociale ortum esse demonstraverit, cum prorsus testimonia desint, statuere non possumus. Nam in enarrandis illis aut ad universa mala reipublicae Romanae [5]) aut ad leges Gracchorum, qui etsi non Tiberius [6]) at certe Gaius [7]) id studerent, ut Italicis populis civitas daretur, regredi aut optimatium exemplo [8]) M. Livium Drusum pro belli auctore habere potuit. Sed in tractanda hac quaestione diutius vix versatus est et in rebus minoris momenti acquievisse videtur, quod Cicerone teste maxime ostenta, quae bellum imminere nuntiabant, accurate tra-

---

1) cf. auct. lib. de orig. gent. Rom. c. 9, nisi hic nuntius commenticius videtur esse. 2) l. c. praef. p. 22. 3) Galli, qui in Sisennae fragmentis commemorantur, auxiliares Romanorum in bello sociali erant. 4) p. 301 sq. 5) cf. hui. diss. p. 20. 6) cf. tamen Plut. Tib. Gracch. vit. c. 8. 7) cf. Mommsen, Hist. Rom. vol. II p. 88 et W. Ihne, Hist. Rom. vol. V p. 35 ann. 8) cf. Plin. Hist. nat 25, 21: Druso optimates bellum Marsicum imputavere. vid. et Liv. epit. 71.

didit. Probabile autem est, eum res a. 663/91 — quo socii civitate non accepta non solum defectionem agitare, sed etiam Romanis lòcis nonnullis vim afferre (fr. 6) coeperunt — fortasse ad Drusi mortem libro I comprehendisse. Nam illo mortuo Italicorum spes civitatis impetrandae plane evanuerat.

Iam videamus, quas res Sisenna altero historiarum libro tractaverit. Discimus ex fr. 7 iam Marsos hostilia fecisse. Sisennae igitur ante narrandum erat, seditionem Asculi esse concitatam. Inde autem periculum, ne gentes Picentibus finitimae etiam a Romanis deficerent, in dies augebatur neque dubitari poterat, quin res ad arma veniret. Quare Romani initio per legatos [1]) seditionem se comprimere posse rati cum spe deiecti saga sumpsissent, et cives et auxilia externa conscripserunt, socii autem spe civitatis impetrandae ad irritum redacta ad bellum consurrexerunt eosque, qui Romanis adhuc fidem praestarent, sollicitaverunt. Sed utrique hieme, quae inter annos 663/91 et 664/90 intercessit, cum nondum satis paratos se putarent, in expeditionibus minoribus invicem, urbium obsessionibus et expugnatationibus acquieverunt, dum vere a. 664/90 acie decernere possent. Haec sane larga materia erat, qua effingenda Sisenna, quem copiose scripsisse fragmentis probatur, facile librum alterum explevit. Atque tam late illas res depinxisse videtur, ut vel tertii libri initio adhuc de eis egerit.

§ 2.

De libri tertii reliquiis et argumento.

A. Reliquiae.

10.

Non s. v. mittere p. 348 Sisenna hist. lib. III: Mulierem missa fide ac pietate propter amoris nefarii lubidinem extitisse. P. 13.

Popma verba contulit cum Livii epit. 72 hisce: Ser. Galba

1) Nam Ser. Galba (Liv. 72) eo consilio, quo Servilius proconsul ad Picentes missus est, apud Lucanos versatus fuisse videtur, ut ab eis rationem agitationis seditiosae repeteret.

a Lucanis comprehensus unius feminae opera, ad quam devertebatur, captivitate exemptus est.

Sed dubitare licet de hac interpretatione.

11.

Non. s. v. imbrices p. 125 Sisenna historiarum libro III: Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum. P. 11.

Fragmentum ad expugnationes urbium, quarum Livius exeunte libro 72 mentionem fecit, facilius revocatur, quam Popmae sententia ad caedem Romanorum illam Asculi factam, quae, cum fortasse autumno a. 663/91 acciderit, sine dubio iam prius narrata fuit.

12.

Non. s. v. nolitote p. 480. Sisenna historiarum lib. III: Nolitote mirari, quam desperata voluntate ad unam belli faciendi viam . . . . P. 10.

Verba iam Popma recte rettulisse mihi videtur ad legatos aut duces Italicorum seditiosorum, qui populos vicinos, cum nondum a Romanis defecissent, ad arma capienda sollicitaverunt. cf. Flori lib. II cap. 6, qui Pompaedium eam ob causam Italiae urbes discurrisse narrat.

13.

Non. s. v. manipuli p. 556. Sisenna historiarum lib. III: † Conmutus tamen et tempora singula constituit et, sicut steterat, manipulos obverti iussit. P. 20.

Corrupta haec verba, si cum Petero (p. 281 ann.) constituimus ita: '*Coactus tamen ex tempore signa constituit, et sicut steterant, manipulos obverti jussit*' ad pugnam revocari possunt, qua Cn. Pompeius Strabo, Pompeii Magni pater, apud Asculum victus in Firmum, castellum prope mare Adriaticum situm confugere coactus est. Id enim temporis indicari verbis videtur, cum aut ille ipse aut legatus aciem instruxit, quamquam Iudacilius, Titus Lafrenius, P. Vettius (Ventidius) effuse in eum se invexerunt. — Notandum hoc loco est — si coniectura nostra probatur — Appianum (I, 47) et falso *Φάλερνον ὄρος*, ad quod pugna esset facta, pro 'Asculo' scripsisse et plane diversum rerum ordinem praebere ab Orosii (V, 18) narratione, qui hanc pugnam ante omnes res bello sociali gestas posuit. Apparet, Orosium res ordine suo recte descripsisse. Verisimile enim est, Romanos seditione Asculi Piceni exorta ad hanc urbem obsidendam initio a. 664/90 exercitum primum mi-

sisse, Cn. Pompeium autem, eius ducem, qui tum praetor erat, eruptione Asculanorum [1]) simulque impetu aliorum hostium, qui cum erumpentibus illis se coniunxerant, reiectum esse. Hac autem Romanorum clade maxime populi, qui adhuc Romanis fidem praestitissent vel nondum arma cepissent, adducti fuisse videntur, ut ea caperent et seditionem latius diffunderent. Quare Orosio auctore descriptiones pugnarum cum Samnitibus editarum veluti apud Aeserniam gestae, qua Caesar consul fusus est, atque clades Romanis a Marsis illatae post memoriam pugnae illius ad Asculum factae, non ex Appiani narratione ante eam statuendae sunt. Asculum autem tum demum obsideri coeptum est, cum Pompeius, qui Firmo clausus Sulpicii adventu eruptionem fecit, obsidione liberatus est et cum illo Picentes fudit. cf. Appian. I, 47 fin. Liv. 74 init.

14.

Non. s. v. funditores p. 553. Sisenna hist. lib. III: Ac post armatos funditores ac sagittarios ponit. P. 19.

15.

Non s. v. sparus p. 555. Sisenna histor. lib. III: Sparis ac lanceis eminus peterent hostes. P. 21.

Haec quoque fragmenta ad Asculanam illam pugnam revocare licet. Funditores enim ei interfuisse documento sunt glandes, plumba, quae fundis mittebantur, nostra aetate adhuc servata. — cf. Mommsen, hist. Rom. II p. 230 ann. vid. tamen et Th. Bergk, Inschriften röm. Schleudergeschosse nebst e. Vorwort üb. moderne Fälschungen. Leipz. 1876. Zangemeister: Monatsberichte der Berl. Acad. 1875 p. 465 sq. 1876 p. 64 sq.

16.

Non. s. v. convenire p. 263. Sisenna historiarum libro III: Signum nanctus a Papio, quod inter eos tolli convenerat. P. 62.

Tribuimus hoc fragmentum libro III, quamquam Nonius ex quarto attulit, quod, cum antecedat definitio scriptoris exemplo omisso, in numero afferendo error facile committi potuit. cf. Non. ed. Quicherat p. 293 ann. — De hac Nonii compilatione vid. Schmidt l. l. p. 8.

Apte enim illa verba conferuntur cum Appiani de b. c. I, 42: *Γάϊος δὲ Πάπιος Νῶλάν τε εἷλεν ἐκ προδοσίας. καὶ τοῖς ἐν*

---

1) cf. Frontin. strateg. III, 17, 8. (?)

αὐτῇ Ῥωμαίοις, δισχιλίοις οὖσιν, ἐκήρυξεν, εἰ μεταθεῖντο, στρατεύσειν ἑαυτῷ.

17.

Non. s. v. materes p. 556. Sisenna histor. lib. III: Galli materibus aut lanceis configunt P. 29.

Fragmentum ita Rothius restituit, cum lectiones 'gallia' et 'sani', quas praebent codices, in scripturas 'Galli' et 'aut' corrigeret. 'sani autem vocem corruptam varie mutaverunt viri docti ita, ut Nicolaus Loensis 'hispani', 'spani' Mercerus, 'Suavi' Vlitius, Iunius 'Suevi' scriberent.

18.

Non. dativ. pro abl. p. 502 Sisenna historiarum lib. III: Ali saltu ac velocitate certare P. 30. — 'alii' scripturam, quam praebet editio Nonii Basileensis a. 1526, Rothius mutavit in 'aliis'. 'saltui ac velocitati' habet cod. Laurent. F. ed. Parm. a. 1480.

Riesius, quod duobus his fragmentis de Gallis agitur, opinatus est (p. 60) Sisennam in hoc libro etiam expeditionem, quam Romani a. 664/90 exeunte C. Caecilio duce in Gallia Transalpina contra Salluvios rebellantes suscepissent, descripsisse (Liv. 73 fin.). Eorum autem motus, quin cum bello sociali cohaeserit, non — ut Riesius putat — ab eo alienus fuerit, vix potest dubitari. Discimus enim ex fragmento Sallustii [1]), 'citra Padum' — sic erat sita Salluviorum urbs — 'omnibus legem Liciniam fraudi fuisse'. Hac autem lege de regundis in sua civitate sociis, quae plerumque lex Licinia et Mucia dicitur, inprimis commotum fuisse bellum sociale testatur Asconius (ad Cic. p. Corn. fr. 10 p. 67 Orell.) Sed tamen putaverim, supra potius intellegenda esse auxilia Gallorum, quorum bello Marsico haud exigua utriusque partis castra secuta sunt. Decem enim milia eorum in exercitu Romano, qui Caesare duce in Campania coactus erat, fuisse scimus (Appian. b. c. I, 42) neque paucos in exercitu Pompeii Strabonis prope Asculum Picenum collocato stipendia meruisse plumbis Asculanis, quae fundis mittebantur, demonstratur. cf. fr. 15. Praeter Gallos autem Romanorum auxilia non nominantur, nisi Numidae, Mauri, copiae Ponticae. cf. Plut. Sertor. c. 4. Incertum igitur est, utrum Hispani vel Suevi — si nomen simile in cor-

---

1) hist. lib. I fr. 17 (ed. Kritz).

ruptela 'sani' fr. 17 latet — bello sociali auxiliares interfuerint, necne.

19.

Non. nominat. pro abl. p. 502 Sisenna historiarum lib. III: Omnia, quae diximus loca statim potitus. P. 42.

Quo spectent verba nescimus. Revocare ea fortasse licet ad Papium Mutilum, qui brevi totam Campaniam, cum eius oppida vel sua sponte illi se dedissent, vel proditione vel vi coacta, Romanis eripuit. cf. Appian. b. c. I, 42.

20.

Non. nominat. pro abl. p. 502. Idem [Sisenna]: Hostis loca superiora potiti. P. 135.

21.

Non. s. v. dispalare p. 101 Sisenna historiarum libro III: dispalati ab signis, digressi omnes ac dissipati. P. 35.

Verba apte de Numidis auxiliaribus illis dici potuerunt, qui, cum plurimi eorum perfidi ex exercitu Caesaris consulis ad hostes transfugissent, a Caesare in patriam missi sunt. cf. Appian. I, 42: *Σέξτου δὲ Καίσαρος Γαλατῶν πεζοὺς μυρίους καὶ Νομάδας Μαυρουσίους ἱππέας καὶ πεζοὺς προσλαβόντος τε καὶ χωροῦντος ἐπὶ τὰς Ἀχέῤῥας· ὁ Πάπιος Ὀξύνταν υἱὸν Ἰογόρθου τοῦ Νομάδων ποτὲ βασιλέως, ὑπὸ Ῥωμαίων ἐν Οὐενουσίᾳ φυλαττόμενον, ἤγαγεν ἐκ τῆς Οὐενουσίας· καὶ περιθεὶς αὐτῷ πορφύραν βασιλικὴν ἐπεδείκνυ θαμινὰ τοῖς Νομάσι τοῖς σὺν Καίσαρι. πολλῶν δ' ὡς πρὸς ἴδιον βασιλέα αὐτομολούντων ἀθρόως, τοὺς μὲν λοιποὺς τῶν Νομάδων ὡς ὑπόπτους ὁ Καῖσαρ ἐς Λιβύην ἀπέπεμψε.*

22.

Non. s. v. dispalare p. 101. Idem [Sisenna]: Tanto plures passim dispalantur. P. 134.

23.

Non. s. v. congenulare p. 57 Sisenna historiarum libro III: Multi plagis adversis icti et congenuclati Romanis praecipitatis † ipsi supra volvit in caput. P. 33. — 'congenuclati' vocabulum recte Wernickius restituit ex prodito 'congenulati'; 'Romani praecipitati' Scaliger, 'voluti' pro lectione 'volvit' Bentinus coniecit, Peter 'Romanis praecipitatis ipsis supra caput volvuntur'.

Cum de equis, qui praecipitant, sermo esse videatur, impetus intellegi potest, quo Marius Egnatius, sociorum dux, Caesarem

consulem in angustias pepulit. vid. Appian. I, 45: *Σέξτος δὲ Καῖσαρ μετὰ τρισμυρίων πεζῶν καὶ ἱππέων πεντακισχιλίων διεξιών τινα φάραγγα καὶ κρημνούς, ἄφνω προσπεσόντος αὐτῷ Μαρίου Ἰγνατίου ἐς τὴν φάραγγα περιωσθεὶς ἔφυγεν. κτλ.* — Hac explicatione convenit, quod ex Nonii ordine fr. 24 paulo post fr. 23 apud Sisennam lectum videtur esse. cf. tamen hui. diss., p. 40 ann.

24.

Non. s. v. agilem p. 58. Sisenna historiarum libro III: Agilem dari facilemque victoriam neque fossas aut vallum remoraturum. P. 14.

Haud inepte Popma hoc et insequens fragmentum pertinere censet ad proelium a L. Julio Caesare consule contra Papium ad Acerras commissum. Si recte coniecit, verba ex oratione petita sunt, quam Papius Mutilus, priusquam Caesaris castra oppugnaret, ad milites suos habuit.

25.

Non s. v. apertum p. 236 Sisenna historiarum libro III: Adoriuntur aversos ut apertis lateribus. P. 15.

vid. Appian. b. c. I, 42: . . . *Παπίου δὲ πελάσαντος αὐτῷ σὺν καταφρονήσει, καὶ μέρος ἤδη τοῦ χάρακος διασπῶντος τοὺς ἱππέας ἐκπέμψας κατ' ἄλλας πύλας ἔκτεινε τοῦ Παπίου περὶ ἑξακισχιλίους. καὶ ἐπὶ τῷδε Καῖσαρ μὲν ἐξ Ἀχεῤῥῶν ἀνεζεύγνυεν.*

26.

Non. s. v. maceriae p. 141. Sisenna historiarum libro III: Post villarum macerias ac parietinas quinque cohortis in insidiis reliquit. P. 24.

27.

Non. s. v. praestolari p. 161 Sisenna historiarum libro III: Occulte tacitique advenientiam cohortium praestolari occipiunt. P. 25.

'Occulti' Wernickius, 'tacite' Popma scripserunt propter insolentem coniunctionem adjectivi et adverbii, deinde pro scriptura 'advenientium' Popma 'advenientiam', substantivum simile atque habentia, 'adventum' Rothius posuit. — Haec duo fragmenta veri simile est pertinere ad caedem Q. Caepionis legati P. Rutilii illius, qui consul Livio (epit. 73) et Orosio (V, 18) testibus in proelio contra Marsos adverso cecidit, Appiano auctore (I, 43)

proelio ad Lirim[1]) fluvium gesto mortifero vulnere ictus, cum vita excessiset, cum aliis nobilibus caesis Romam deportatus est, ut publico funere efferretur.

Ut autem de Rutilii consulis caede, ita de Caepionis eius legati morte variant nuntii, nisi quod uterque in insidias hostium incidisse narratur. Sed cum quibus hostibus Caepio pugnaverit, ex Livii epitoma 73 non apparet, Orosii autem testimonio Vestini et Marsi ex insidiis concurrentes eum cum exercitu ad internecionem ceciderunt. Denique Appianus (I, 44) fabulose tradidit, dolo Pompaedii Silonis Marsorum ducis captum cum magna exercitus parte interiisse. Illum enim transfugam simulasse et Caepionem, quem, cum donis insignibus, ut servis infantibus, massis plumbi auro argentoque circumdatis, donavisset, adhortatus esset ad hostium castra, quae duce carerent, opprimenda, in insidias duxisse.

28.

Non. s. v. inpotentiam p. 527. Sisenna histor. libro III: Sublatus laetitia nimia atque inpotentia commotus animi P. 50.

Ad quam rem haec verba referenda sint, certe affirmare non audeo Putaverim eis narrari, quomodo L. Julius Caesar consul, postquam de Samnitibus et Lucanis victoriam rettulit, cum ab exercitu suo imperator vocatus esset, laetitia perfusus Romam ad senatum miserit, qui victoriam nuntiarent. cf. Oros. V, 18. Potuerunt (?) verba etiam dici de exitu Iudacilii[2]), sociorum ducis, qui Asculi, cum sibi persuasisset, hanc patriam urbem brevi in Romanorum potestatem venturam esse, mortem sibi conscivit. cf. Appian. I, 48: . . . *καὶ Ἰουδακίλιος μὲν ὧδε φιλοτιμηθεὶς πρὸ τῆς πατρίδος ἀποθανεῖν, κατελύθη,* Sed haec res, cum certe exeunte bello acciderit, alio libro vel IV vel demum V fuit narranda.

---

1) Falso fluvium, prope quem pugna facta est, Appianus Lirim vocat. Erat ille Tolenus testibus Ovidio, qui etiam diem (III ante idus Iunii a. 664/90) prodidit (Fast. VI. 565), et Orosio V, 18. 2) cf. Oros. V, 18, 21 eadem die Picentes congressi et victi sunt, quorum *dux Vidacilius convocatis principibus suis post magnificas epulas largaque pocula cunctos ad exemplum sui provocans hausto veneno absumptus est* cunctis factum eius laudantibus, sed nemine subsequente.

29.

Non. s. v. sagum p. 538. Sisenna histor. lib. III: Senatus auctoritate sagaria nunc. P. 12.

Sine dubio verba haec spectant ad illum nuntium victoriae (cf. fr. 28), quo allato senatu auctore populus sagis, quae initio belli sumpserat, positis togam induit. vid. Liv. ep. 73. Oros. l. s. s., qui senatum sagum posuisse narrat.

Quare Riesio (p. 60) assentiendum est, qui verba corrupta 'sagaria nunc' correxit in 'saga ponunt', priorum autem virorum doctorum coniecturae: Riccoboni et Schottii 'saga induunt' et Popmae 'saga sumuntur' vel 'sumpta' non aptae hoc loco reiciendae sunt. Nec mihi placet Quicherati lectio 'saga renuunt'.

30.

Non. s. v. adesum p. 70. Sisenna historiarum libro III: Isdem temporibus Aesernini duplici fossa valloque circumdati frumento adeso, quod ex areis in oppidum portatum est. P. 16.

Quae desunt verbis si supplemus 'se hostibus tradunt', hic narrasse videtur Sisenna, quomodo Aesernia colonia [1]), quam Italici iam hieme a. 663/91 obsidere coeperunt, in eorum potestatem venerit. Livio autem auctore (ep. 73) colonia cum M. Marcello Samnitibus tradita est. Sisenna tamen hic etiam narrare potuit, quae Diodorus (lib. XXXVII fr. 19 ed. Dind.) memorat, Aeserninos fame pressos, servos ex urbe sua expulisse. Apparet, illos id paulo ante captam urbem, fortasse autumno a. 664/90, fecisse. cf. Appian. I, 41.

31.

Non. s. v. lembus p. 534. Sisenna histor. lib. III: Otacilium legatum cum scaphis ac lembis. P. 38.

32.

Non. s. v. actuariae p. 535 et s. v. onerarias p. 536. Sisenna hist. lib. III: Quibus occisis actuarias ad viginti navis, item complures onerarias incendunt. P. 39.

Fragmenta ex ea historiarum parte petita sunt, qua Sisenna de rebus maritimis a. 664/90 disputavit. Intellegimus Samnites, qui, cum Campaniae maximam partem obtinerent, etiam urbes maritimas occupare conati sunt, ut Romanorum exercitus com-

1) De ea deducta vid. Liv. epit. lib. XVI et Vellei. I, 14. 7.

meatibus intercluderent. Constat Romanos, cum timerent, ne hostes Latii etiam ora potirentur, libertinos conscripsisse, qui illam a Cumis urbe usque ad Ostiam defenderent. cf. Appian. I, 49 et Liv. epit. 74. Quo factum est, ut Romani periculum, ne urbs ipsa a mari interclusa fame premeretur, effugerent. — Quis fuerit ille Otacilius legatus, cum apud scriptores nobis servatos nulla fiat eius mentio, nescimus.

33.

Non s. v. propter p. 367. Sisenna historiarum lib. III: Partem cohortium propter mare collocat in litore. P. 22.

Verba aptissime dici potuerunt de pugna apud Firmum facta. Id enim ad mare Adriaticum situm fuisse constat. Fragmentum igitur — si recte coniecimus — aut ad Lafrenium, qui Pompeium Firmo clausum obsidere incepit, refertur aut ad Pompeium, qui, cum Sulpicius ei auxilio venerit, exercitus partem ad mare disposuit: vid. Appian. I, 47. Ad eandemque pugnam pertinere potest fragmentum hoc:

34.

Non. s. v. soni p. 491. Sisenna histor. lib. III: Postquam sonu signorum proelium magno cum clamore virorum commissum est. P. 26.

Nam verba inseri posse videntur Appiani (l. c.) descriptioni pugnae eiusmodi: *γενομένης δ' ἐν χερσὶ τῆς μάχης, καὶ πονουμένοιν ἀμφοῖν, ὁ Σουλπίκιος ἐνεπίμπρη τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον· καὶ τοῦθ' οἱ πολέμιοι κατιδόντες, ἐς Ἄσκλον ἔφευγον, ἀκόσμως ἅμά καὶ ἀστρατηγήτως. Λαφρήνιος γὰρ ἐπεπτώκει μαχόμενος. Πομπήϊος δὲ καὶ Ἄσκλον ἐπελθὼν ἐπολιόρκει.* (Fortasse (?) haec est pugna, quam Velleius Paterculus (II, 21) 'ad Asculum commissam esse dicit, qua quinque et septuaginta milia Romanorum et plus sexaginta milia Italicorum una die conflixisse narrantur.)

35.

Non. s. v. catapulta p. 552 Sisenna histor. lib. III: Praeterea catapultas sedecim, quattuor ballistas, viginti plaustra scorpiis ac minoribus sagittis onusta. P. 40.

36.

Non. s. v. scorpio p 553. Sisenna hist. lib. III: Longius scorpios catapulta concitos. P. 41.

Verba sine dubio pertinent ad ducem aliquem, qui loco op-

pugnationem intulit. Quod de maioribus et pluribus machinamentis Sisenna dicit, putaverim, eum loqui de obsidenda urbe munita, quale Asculum erat (Strabo V, 4). Hoc enim Cn. Pompejus, quamquam iam a. 664/90 obsedit (Liv. 74 init. Appian I, 47 fin.), tamen exeunte demum a. 665/89 cepit et delevit (Oros. V, 18 fin. Liv. epit. 76). Primo enim belli anno frustra illud obsederat, deinde altero anno S. Julio Caesari legato, qui consul fuerat a. 663/91 [1]) obsidendum tradidit et post huius mortem C. Baebio legato (Appian. I, 48 fin.) Tum pacatis populis, qui in media belli sede habitabant, ipse urbis illius obsidioni praeerat. — Sed in explicandis fragmentis supra allatis etiam cogitare possumus de expeditione Iudacilii, qui in Iapygia, parte Calabriae, plura oppida obsidione cinxit. (Appian. I, 42).

Venimus ad explicanda nonnulla fragmenta, quae ad domesticas res pertinent.

37.

Non. s. v. in populum p. 130 Sisenna historiarum libro III: Servulum eius praemio libertatis inductum magno cum tumultu conventum in populum produxit armatum. P. 43.

Sine dubio haec res ita intellegenda est, ut crimen in dominum illius servi deferatur, quo damnetur. Praemio enim libertatis proposito fieri non potuit, quin servi, qui multis in causis delatores timebantur, dominos suos calumniarentur.

38.

Non. s. v. inmissum p. 130 et s. v. vicatim p. 188 Sisenna historiarum libro III: Cum complures menses barba immissa et intonso capillo, lugubri vestitu, populum vicatim flens una cum liberis circumiret. P. 47.

39.

Non. s. v. vulgus p. 230 Sisenna historiarum libro III: Imperitum concitat vulgum. P. 48.

Popma et qui eum secuti sunt fr. 38 et 39 continuaverunt.

Verba fragmentorum paene congruunt cum eis, quae Marius fecisse traditur, cum ex Africa in Italiam, ex qua a Sulla a. 666/88 pulsus erat, Cinna auctore revertisset. Cum enim exitu

---

1) vid. Kiene, p. 204.

a. 667/87 admonitus esset, ut rebus Romae mutatis in Italiam rediret, postquam naves et equitum Maurusiorum agmen aliosque exsules coegit, a Cercina insula profectus paulo post in portu Etruriae parvo, qui Telamon vocatus est, naves appulit. Deinde Marius, cum ei a Cinna, quem consulem agnovisset, proconsulis dignitas oblata esset, hanc a sorte sua abhorrere ratus et omnia imperii insignia omnemque corporis cultum aspernatus immissa barba et intonso capillo ingressus est urbesque Etruriae ad rusticos, et liberos et servos, ut secum contra partes Sullanas arma caperent, sollicitandos circumiit. Conferre autem placet Sisennae verba cum locis hisce:

Plutarch. Mar. c. 41:	Appian. de b. c. I, 67:
Δεξαμένου δὲ τοῦ Κίννα καὶ προσαγορεύσαντος αὐτὸν ἀνθύπατον, ῥάβδους δὲ καὶ τ' ἄλλα παράσημα τῆς ἀρχῆς ἀποστείλαντος, οὐκ ἔφη πρέπειν αὐτοῦ ταῖς τύχαις τὸν κόσμον, ἀλλ' ἐσθῆτι φαύλῃ κεχρημένος καὶ κομῶν, ἀφ' ἧς ἔφυγεν ἡμέρας ὑπὲρ ἑβδομήκοντα γεγονὼς ἔτη βάδην προσῄει, βουλόμενος μὲν ἐλεεινὸς εἶναι, τῷ δ' οἴκτῳ συμμέμικτο τὸ οἰκεῖον τῆς ὄψεως αὐτοῦ πλέον τὸ φοβερόν.	*Γάϊος δὲ Μάριος τούτων πυθόμενος ἐς Τυῤῥηνίαν κατέπλευσεν ἅμα τοῖς συνεξελαθεῖσι· … ῥυπῶν δ' ἔτι καὶ κόμης ἔμπλεως ἐπῄει τὰς πόλεις οἰκτρὸς ὀφθῆναι· μάχας τε καὶ τρόπεῖα αὐτοῦ Κιμβρικὰ καὶ ἓξ ὑπατείας ὑπερεπαίρων, καὶ περὶ τῆς χειροτονίας σφόδρα αὐτοῖς ἐπιθυμοῦσιν, ἐπαγγελλόμενός τε καὶ πιστὸς εἶναι δοκῶν, συνήγαγε Τυῤῥηνῶν ἑξακισχιλίους κτλ.*

Granius Licinianus p. 23 ed. Bonn.: — et cum *deformis habitu et cultu* ab is videretur, qui eum florentem victoriis norant, *supplicemque se omnibus quasi oppressus* ab inimicis *commendaret,* mox legionem voluntariorum conscripsit.

Inter Sisenna verba et hos locos allatos similitudinem quandam intercedere vix negabit, qui accurate ea contulerit. Cum Sisennae vocabulis 'vicatim — circumiret' maxime conveniunt Appiani '*ἐπῄει τὰς πόλεις*' et 'populus'— quod vocabulum saepe idem significat atque 'multitudo' (*πλῆθος*) — dici potuit de agrestibus Etruriae hominibus, qui Mario, cuius in partibus tum pauci starent, conciliandi essent, ut cum adversariis congredi posset.

Videtur autem Sisenna hanc rem, quae a. 667/87 exeunte, nisi initio demum anni sequentis accidit, occasione data praenar-

rasse. — Exempla hoc modo populi misericordiae concitandae, sive ut quis poenam, quae immineat, effugiat, sive ut multitudinis animos sibi conciliet, ne repulsam accipiat vel ut rogationem aliquam perferat vel ut aliud quid, quod petit, consequatur, nonnulla apud Romanos veteres nobis occurrunt [1]).

40.

Non. s. v. callet p. 258. Sisenna historiarum libro III: Lucium Memmium socerum Gai Scriboni, tribunum plebis, quem Marci Livi consiliarium fuisse callebant et tunc Curionis oratorem. P. 44.

Dubitare licet, utrum fragmentum teste codice Parisino n. 7667 libro III, cui est aptius, an testibus codicibus aliis libro IV tribuendum sit.

De L. Memmio tribuno plebis cum nihil memoriae traditum sit, Rothius 'Gai Scriboni tribuni plebis' scripsit. Is enim Cicerone auctore (Brut. 89, 305) hoc munere a. 664/90 functus est. Praeterea Sullae legatus in bello Mithridatico et Cn. Octavii cos. a. 678/76 collega, ab anno 679/75 usque ad annum 681/73 proconsul Macedoniae fuit, mortuus est a. 701/53.

Ille autem L. Memmius, fortasse frater minor natu C. Memmii illius tribuni plebis a. 643/111, qui C. Servilio Glaucia auctore aemulus a Saturnino a. 654/100 interfectus est, tum in accusatoribus acerrimis habebatur, ut Cicero (Brut. 36, 136) eum multos in iudicium capitis vocasse, pro reis non saepe dixisse narrat. De expellendo eo hic agi ex Appiani testimonio colligere licet, qui (b. c. I, 37) perperam L. Memmium Achaicum cum Cotta lege Varia in exsilium eiectum esse memorat. cf. L. Lange, Antiq. Rom. vol. III, p. 107 ann. 7.

Pertinet igitur fragmentum ad iudicia illa de eis, qui, quod belli Marsici auctores essent, lege Varia accusabantur. Hanc enim Q. Varius [2]) tribunus ille plebis in annum 664/90 designatus, eo consilio tulit, ut ei, quibus necessitudo arcana cum sociis externis intercessisset, quod contra rempublicam fecissent, damnarentur. Apparet, haec iudicia, postquam exerceri coepta sunt, bello etiam

1) cf. Cic. de orat. I, 53/228. Appian. b. c. I. 14 (c. 13). Gell. II, 13. 2) cf. Appian. d. b. c. I, 37: *οἱ ἱππεῖς Κόϊντον Οὐάριον δήμαρχον ἔπεισαν ἐσηγήσασθαι κρίσεις εἶναι κατὰ τῶν τοῖς Ἰταλιώταις ἐπὶ τὰ κοινὰ φανερῶς ἢ κρύφα βοηθούντων κτλ.* cf. Ascon. in Scaur. 22, in Cornel. 37,

extorto diu valuisse, cum qui illius criminis accusabantur, tum demum cum socii arma moverant, bono iure accusari viderentur. Atque una exercita esse illa iudicia ceteris propter bellum intermissis Cicero [1]) narrat, qui frequens eis aderat et oratores enumerat, qui tum in rostris maxime excellebant.

41.

Non. s. v. proprium. p. 361. Sisenna historiarum lib. III: Tum subito tacuit atque metu et suspicione propriam capere non potuerat quietem. P. 45.

Verisimile est, hoc fragmentum [2]) et fr. 37 ad iudicia lege Varia exercita etiam revocanda esse. cf. Cic. Brut. 89, 305.

42.

Non. s. v. praefestinatim p. 161. Sisenna historiarum libro III: Idemque perseveraverunt, uti lex perveniret ad quaestorem ac iudices quos vellent instituerent praefestinatim et cupide. P. 117.

Propter locum, qui fragmento apud Nonium est, Riesio auctore (p. 58 p. 61) libri numerum III ex numero prodito IV restituimus. — Riesius verba rettulit ad leges, quae, postquam Caesar consul exeunte a. 664/90 Romam rediit, ibi rogatae sunt. Si conicere licet, fragmentum pertinet ad rogationem legis Plautiae, qua haec nova ratio in iudiciis exercendis adhibita est, ut populo ipsi iudices suos elegendi optio daretur. Ascon. ad Cic. pro Corn. p. 79.

43.

Non. s. v. senati vel senatuis p. 484. Sisenna histor. lib. III: Lucius Calpurnius Piso ex senati consulto duas novas tribus. P. 17.

44.

Non. s. v. ergo p. 107 Sisenna historiarum lib. IV: Mi-

---

1) in Brut. 89/304 sq. 2) Verba etiam de Mario dici potuerunt. cf. 1) Plut. Mar. 28: . . Ἀλλ' ἦν, ὡς λέγουσι πρὸς πολιτείαν καὶ τοὺς ἐν ὄχλοις θορύβους ὑπὸ φιλοδοξίας ἀτολμότατος. καὶ τὸ παρὰ τὰς μάχας ἀνέκπληκτον καὶ στάσιμον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀπέλειπεν αὐτὸν ὑπὸ τῶν τυχόντων ἐπαίνων καὶ ψόγων ἐξιστάμενον. 2) c. 45: Ὑπὸ τοιούτων θραυόμενος λογισμῶν καὶ τὴν μακρὰν ἄλην αὐτοῦ καὶ φυγὰς καὶ κινδύνους διὰ γῆς καὶ θαλάττης ἐλαυνομένου λαμβάνων πρὸ ὀφθαλμῶν εἰς ἀπορίας ἐνέπιπτε δεινὰς καὶ νυκτερινὰ δείματα καὶ ταραχώδεις ὀνείρους, ἀεί τινος ἀκούειν φθεγγομένου δοκῶν κτλ.

lites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donari. P. 120.

Duo haec fragmenta ex diversis Sisennae libris petita ad unam eandemque legem Calpurniam, de qua aliunde nihil traditum est, pertinere, tam probabile est, ut Kienii exemplo (l. c. p. 224) de eis una disputemus.

Atque alterum quidem ad legis rogationem spectat, alterum ad tempus, quo illa iam exercebatur. Discimus autem ex eis, L. Calpurnium rogasse primum, ut duae novae tribus instituerentur — simile aliquid supplendum videtur esse — deinde, ut ducibus liceret, milites, quibus quisque praeesset, civitate, virtutis praemio, donare. Cohaeret sine dubio haec lex cum rationibus illis, quas Romani cladibus a. 664/90 afflicti, cum iam lex Varia obsolevisset, ad socios pacandos inierunt, ut et eos, qui fidem praestitissent, remunerarentur, et eis, qui arma cepissent, occasionem darent pacis faciendae. Dico legem Iuliam de civitate sociis et Latinis danda, quam L. Julius Caesar consul mense Decembri a. 664/90 [1]) tulit, et legem Plautiam et Papiriam, qua M. Plautius Silvanus et C. Papirius Carbo, tribuni, alias condiciones civitatis impetrandae sociis proposuerunt [2]). Cum enim probabile sit, legem Plautiam, quoniam plerique tribuni, simulatque magistratum inierunt, leges ferre soliti erant, vel mense Decembri a. 664/90 vel Ianuario a. 665/89 [3]) latam esse, temporis terminus legis Calpurniae latae aut in eisdem mensibus aut non multo post statuendus erit.

Apparet tamen, legem Calpurniam post legem Iuliam, non ante rogatam esse, ut hanc quodammodo supplevisse videatur. Nam hac ut novi cives in octo tantum tribus erant ascripti, ne potentia ac multitudine veterum civium dignitatem frangerent (Velleius II, 20, Appian. de b. c. I, 49 [4]), ita illa duae novae tribus rogatae sunt, quibus novi cives praeter civitatem haud dubie ius suffragii acciperent. Sed id — si Sisennae locum recte intelleximus — Calpurnius rogasse tantum, non pertulisse putandus

1) cf. Mommsen, H. R. II p. 238 ann. 2) vid. Cic. pro Archia 4, 7. Schol. Bob. p. 353. 3) Cn. Pompeio, M. Porcio Catone consulibus. 4) Aut confuse Appianus de quindecim tribubus, in quas novi cives distribuantur, loquitur aut dicit unam de pluribus eiusmodi rogationibus latis. Praeterea conferantnr Cic. p. Balbo 8, 21. Vellei. 2, 16 fin. Gell. 4, 4, 3.

est. Constat enim Romanos tribus novissimas, Velinam et Quirinam, a. 513/241 post victoriam ad Aegates insulas reportatam ceteris adiecisse in eisque, quae tum exstabant, omnino acquievisse (Liv. epit. lib. 19).

Accedit, quod ne lex quidem Iulia unquam tota exercita est, cum bellum sociale bellum civile primum insecutum esset, neque populares ab initio id operam dare omisissent, ut Italici Romanis civibus pares fierent id est, ut novi cives in omnes 31 tribus rusticas distribuerentur [1]).

Talem enim Sulpicii, tribuni plebis a. 666/88 rogationem (App. I, 55) etsi populus probavit, Sulla statim sustulit. Neque prius Italici id quod postulabant consecuti sunt, quam populares Cinna duce anno postero contra optimates superiores discesserant. Nam postquam a. 668/86 L. Philippus et M. Perpenna censores creati sunt, fieri potuit, ut post duos annos a. 670/84 novi cives ascripti suffragium acciperent (Liv. ep. lib. 84).

Sed haec hactenus de priore rogatione legis Calpurniae.

Nunc dicamus de altera, quae quidem ducibus potestatem milites civitate donandi concesserit. Atque haec potestas infinita fuisse ita videtur, ut maxime ad Romanorum auxilia, quae virtute praestitissent, deinde ad eos praeclaros viros, qui in bello sociali de republica Romana aliqua ratione meriti essent, pertineret. Ut exempla pauca afferam, Cn. Pompeius Strabo cohortes duas Camertium [2]), quorum urbs prope fines Picenos sita erat, simulque P. Caesium Ravennatem civitate donavit (cf. Cic. p. Corn. Balbo c. 22, 50). Neque improbabile esse, etiam Tudertes civitatem lege Calpurnia accepisse, infra videbimus (fr. 62). Atque haec lex idem plebiscitum fuisse videtur, quo Minatius Magus Aeculanensis ille, qui legione Hirpinorum conscripta altero anno belli Romanis auxilio venisset (Vellei. II, 16), civitate donatus est [3]). Denique, ne exemplum a posterioribus temporibus peti-

1) cf. J. Beloch, Der ital. Bund unter Roms Hegemonie. Leipz. 1880 p. 36/7. 2) Quamquam eam etiam lege Iulia dare potuit, ut putare liceat, Camertes aut armis contra Romanos motis illa uti non potuisse aut, ut alias urbes (cf. pro Balbo § 21), foedus cum civitate nondum mutasse. (vid. pro Balb. § 46.) cf. Kiene, p. 228. — NB. *Iam Marius in acie Vercellensi mille Camerinos civitate donasse fertur* (Plut. Apophth. Marii 5. Mar. 28. Val. Max. V, 2. 8), *quo tempore lex haec Calpurnia nondum lata erat.* 3) Haec est L. Langii sententia. vid. eius Antiq. Rom. II p. 686, III p. 110.

tum, quibus lex illa etiam valuit, omittam, Q. Metellus Pius civitate multos donasse (p. Arch. 10, 26), in his Q. Fabium Saguntinum (pro Balbo § 50) traditur. Id enim quo tempore ille Hispaniae proconsul contra Sertorium summum habuit imperium, inter a. 675/79 et 683/71 accidit.

Haec fere sunt, quae de lege Calpurnia dici posse videntur. Iam quis Calpurnius — quam gentem apud Romanos maximam fuisse constat — legem illam tulerit, si quaerimus, nescire nos hoc profitendum est. Nam Popma, qui L. Calpurnium Pisonem, qui consul cum P. Mucio Scaevola a. 621/133 fuit, censorem [a. 634/120?] ex senatus consulto duas novas tribus adlegisse opinatus sit, sine dubio erravit. Deinde Kienius (p. 229) coniecit, L. Calpurnium Pisonem, eius Pisonis, qui consul a. 696/58 fuisset et postea a Cicerone esset accusatus, patrem dici, qui bello Italico praefectus armis faciendis rem familiarem auxisset (Cic. in Pisonem 36, 87). Sed eum non — ut Kienius arbitratur — illum esse, qui praetor a. 680/74 Verrem collegam habuerit et propter innocentiam (Cic. divin. in Caecil. § 64), prudentiam, potentiam a Cicerone laudetur, vel inde apparet, quod filius illius praetoris C. Calpurnius Piso [1]) erat, Ciceronis ille gener, qui matura morte absumptus est. Ille autem Ciceronis adversarius, Pisonis praefecti armis faciendis filius, et L. Calpurnius Piso Caesonius [2]) vocatur et Caesaris, qui eius filiam Calpurniam in matrimonium duxerat, socer notissimus est. Sed etsi fieri potuit, ut ille praefectus armis faciendis praeter hoc munus etiam tribuni plebis vel praetoris, qui legem tulisset, munere fungeretur, tamen inter magistratus eiusmodi a. 665/89 non nominatur [3]).

45.

Non. s. v. senati et senatuis p. 484. Idem [Sisenna]: Simul et senatuis consultis clarissimis amplificati. P. 136. 'senatis' lectionem proditam Mercerus correxit in 'senatuis'; 'ec senati consulto' scripsit L. Muellerus, qui 'honoribus' a Nonio omissum esse putavit in Jahn. annal. vol. 95 (1867) p. 494. — Fragmentum,

---

1) cf. Cic. ad Att. 2, 24, 3; p. Sest. 24, 54. 2) Commemoratur apud Caes. b. c. 1, 3 § 6 et saepe apud Cic. pro domo, pro Sest. in Pis. 3) Inter praetores huius anni praeter Q. Metellum Pium (p. Archia 4, 7), quem supra commemoravi, enumerantur Appius Claudius Pulcher, P. Clodii viri illius infamis pater (l. c. 5, 9), L. Lentulus quidam alias ignotus, A Sempronius Asellio (Liv. 74).

quod Nonius fragmento libri III subiunxit, ad hunc etiam librum revocavimus. Neque solum loco, qui fragmento apud Nonium est, sed etiam argumento, quod ad legem Calpurniam spectat, ad librum III pertinet. Verba enim de eis sociis, qui fidem Romanis praestiterint, vel gratum aliquid fecerint, sunt intellegenda. cf. Vellei. II, 16.

46.

Non. s. v. permittere p. 162. Sisenna historiarum libro III: Et inde ecum concitatum princeps ad hostium permittit aciem. P. 32.

Quo spectet locus nescimus, nisi quod ad ducem, a quo pugnae initium oritur, referendus est.

47.

Non. s. v. manipulatim p. 141. Sisenna historiarum libro III: Requiescendi spatium nacti, cum densiores manipulatim resistere hostibus instituissent. P. 31.

48.

Non. s. v. multifariam p. 141. Sisenna historiarum libro III Quod loca palustria . . que erant et alte multifariam confossa. P. 18.

Verbis his pugnae locus descriptus videtur esse. Sed quem intellexerit Sisenna, nomine omisso nescimus. Pertinere fragmentum potest ad pugnam ad lacum Fucinum gestam, prope quem Porcius Cato bellum gessit (Oros. V, 18), itemque ad regionem Minturnensem (Appian. I, 42) vel ad proelium ad flumen quoddam commissum. Nam fluvii saepius in pugna b. s. describenda commemorantur, ut ap. App. I, 43, Ovid. fast. VI, 565, Oros. V, 18. App. I, 52.

49.

Non. s. v. claritudo p. 82. Sisenna historiae libro III: Quod fortassean ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecisset. P. 49.

Verba nescio an apte revocentur ad Iudacilium, quem spes Asculi, urbis patriae, obsidione liberandi destituit. Nam Asculani, cum eos per nuntium de consilio suo certiores fecisset et adhortatus esset, ut ubi eum vidissent, in obsidentes erumperent, hanc rei gerendae occasionem praetermiserunt. Sed Iudacilius, cum per medios hostes cum paucis in oppidum perrupisset, poenas ab adversariis, qui consilium illud ad irritum redegissent, re-

petiit. vid. Appian. I, 48. Haec autem res certe anno 665/89 tribuenda est. cf. expl. fr. 28.

50.

Non. s. v. indulgitate p. 126. Sisenna historiarum libro III: Bassus assiduitate indulgitate victus. P. 46.

De nomine proprio quaeritur utrum Ventidius Bassus dicatur, pater ducis illius celeberrimi, qui puer a Cn. Pompeio Asculo capto per triumphum ductus est [1]), an Bassus alius, qui quis fuerit nescimus. Hoc verisimilius Riesius putavit esse (p. 60), cum is, quem Romani indulgentia sibi conciliassent, haud dubie ita studiosum eorum se praebiturus fuisset, ut neque ipse, neque filius per triumphum duci posset. Cui quidem sententiae quid tribuendum sit, vel inde apparet, quod Riesius eam fortasse non dicturus fuisset, nisi ut secum consentiret de eis, quae in libro III historiarum narrata fuisse statuit. Nam si Bassum Asculanum illum intellexisset, rem attigisset Sisenna, quae huic Riesii sententia iam in altero libro narranda erat, quo rerum descriptionem, quae a. 664/90 in sede belli septemtrionali gestae essent, plane confecisset. Quod falsum esse infra me demonstrare posse mihi videor, cum de argumento libri III disputaverim. Ceterum etsi haud multum interest scire, quis ille Bassus fuerit, tamen omnino negari nequit, fragmentum ad Ventidium et rem spectare posse, quae Asculi accidit.

51.

Non. s. v. protelare p. 363. Sisenna hist. lib. III: Romanos impetu suo protelant, protelatos persecuntur. P. 27.

Quae Romanorum clades hic dicta sit, nescimus. Verisimile tamen est, verba pertinere ad unam ex eis, quas illi initio expeditionis a. 664/90 acceperunt.

52.

Non. s. v. mandare p. 135. Sisenna historiae libro III: Post principia paulatim recedunt atque inde cum paucis fugae se mandant. P. 34.

Verba conveniunt quodammodo cum eis, quae Appianus (I, 51) de Papio Mutilo, Samnitium duce prodit, cum hic a Sulla repen-

---

1) fasti triumph. (cf. Val. Max. VI, 9, 9). Vellei. II, 65, 3. Plin. hist. nat. VII, 43, 44. Iuven. sat. 7, 199. Gell. N. A. XV, 4. Dio Cass. XLIII, 51; XLIX, 21.

tino impetu oppressus in fugam se converterit: . . *καὶ τῶν ὑπολοίπων σποράδην διαφυγόντων ὁ μὲν Μοτίλος τραυματίας ἐς Αἰσερνίαν σὺν ὀλίγοις κατέφυγεν.* Quod si recte conieci, cum haec res a. 665/89 acciderit, sane libri numerus mutandus est in IV.

53.

Non s. v. inermis p. 492. Sisenna histor. lib. III: Plerique inermis in castra perfugiunt. P. 37.

Quo spectent verba certe dicere nequimus. Conferri nescio an possint cum Appiani locis hisce [1]: I, 41: *Πρησενταῖος δὲ Πόπλιος Περπένναν μυρίων ἀνδρῶν ἡγούμενον ἐτρέψατο καὶ ἔκτεινεν ἐς τετρακισχιλίους. καὶ τῶν λοιπῶν τοῦ πλέονος μέρους τὰ ὅπλα ἔλαβε.* vel aptius I, 48: *Σέξτος δὲ Καῖσαρ — ἐπέδραμεν ἀνδράσι δισμυρίοις μεταστρατοπεδεύουσί ποι, καὶ ἔκτεινεν αὐτῶν ἐς ὀκτακισχιλίους, ὅπλα τε πολὺ πλειόνων ἔλαβε.*

54.

Non. s. v. tela p. 448. Sisenna historiarum lib. III: Manualis lapides dispertit, propterea quod is ager omnis eiusmodi telis indigebat. P. 23.

55.

Non s. v. binum milium numero p. 80. Sisenna historiarum libro III: Ad binum milium numero sauciis utrimque factis. P. 36.

Quibus pugnis haec fragmenta tribuenda sint, statuere non possumus neque hoc ad certam rem revocare:

56.

Non. s. v. certatim p. 516. Sisenna histor. lib. III: Atque armis de vita certatim dimicare nitebatur. P. 28.

Dicat quispiam certamen singulare hic significari, cuius exempla in bello sociali plura habemus, ut apud Diodorum (lib. 37, 23) et Appianum (I, 50). Sed illud, quod inter Lamponium et Crassum fuisse narratur, exitu belli statuendum videtur esse.

B. Argumentum

Explicatis libri tertii fragmentis repperimus, prima eorum ad

---

1) cf. potest etiam Oros. (V, 18, 16) locus hic: Marius deinde sex milia Marsorum cecidit, septem milia a r m i s e x u i t.

tempus spectare, quo bellum sociale nondum satis esset paratum. Nam si discesseris a fragmento dubio 10 (13), quod vulgo ad Ser. Galbam revocatur, fr. 11 ad urbis expugnationem pertinet, cuius exempla hieme inter annos 663/91 et 664/90 intercedente plura exstant (Liv. epit. 72 fin.), et fr. 12 (10) satis demonstratur, Italicorum seditionem etiam tum serpere, quod hostium dux ad socios sollicitandos urbes circumiisse narratur. Iam venimus ad bellum exortum. Enumerantur Romanorum clades a. 664/90: pugna ad Asculum facta fr. 13—15 (20. 19. 21), Nola capta fr. 16 (62), Numidae auxiliares perfidi in patriam dimittuntur fr. 21 (35), proelia ad Acerras commissa fr. 23—25 (33. 14. 15), Caepio, Rutilii legatus, cum exercitu caeditur fr. 26. 27 (24. 25). Caesar Samnites et Lucanos vicit fr. 28 (50)?[1]. Saga senatus Romae posuit togamque sumpsit fr. 29 (12), Aesernia Italicis tradita est fr. 30 (16). Urbes maritimae ab eis occupatae sunt fr. 31. 32 (38. 39). Pompeius, qui Firmi clausus a Sulpicio obsidione liberatus est, cum eo hostes pugna magna fudit fr. 33. 34 (22. 26) et ad Asculum obsidendum proficiscitur fr. 35. 36 (40. 41).

Res domesticae narrantur fr. 37—45 (43. 47. 48. 44. 45. 117. 17. 120. 136), lex Varia exercita est fr. 37. 40. 41 (43—45). Hac obsolescente plures leges, in his lex Calpurnia, de civitate sociis danda deinceps rogatae sunt fr. 42—45 (117. 17. 120 136). Dum haec Romae geruntur, pugnae utrimque diversis locis continuantur fr. 46 (32) sq.

Ex his conici posse videtur, Sisennam libro tertio, postquam res initio anni 664/90 gestas attigit, in describendis belli socialis rebus usque ad exitum eius anni processisse, quo senatus Romanus nuntio allato, etiam Etruscos et Umbros moveri ad eos pacandos misit, qui civitatem eis offerrent, aliasque deinceps rationes, ne seditio latius diffunderetur, iniit (cf. Appian. I, 49). Ita enim fieri potuit, ut Sisenna ab altero anno belli narrando libri quarti exordium duceret. Recte igitur Kienium (p. 226) de

---

1) Nescio an haec Romanorum victoria eadem sit, quam L. Iulius Caesar ad Acerras de hostibus rettulit. cf. fr. 25 et 23. Ut enim Appianus, ita Orosius (V, 18) de copiis Caesaris auctis loquitur, quamquam hic pugnae locum omisit, ille proelia ad Acerras commissa omnino inter se confudisse videtur. I, 42 et 45. cf. W. Ihne, Hist. Rom. V, p. 262 ann. 3.

exitu libri III et de initio libri IV historiarum sensisse, nostra quaestione probatur, qua etiam *verisimile est, partem rerum domesticarum ante bello gestas tractatam esse.* Nam Riesii coniectura reicienda est. Putavit enim Sisennam res a. 664/90 cum libris II et III descripsisse, tum hoc, quae apud Campanos, Samnites, Lucanos, illo quae apud Picentes, Marsos, Marrucinos gesta essent, ita comprehendisse, ut utrique libro dimidium anni tribueret (p. 59). Neque vero ille hanc coniecturam ita probare potuit, ut ei fides facile haberi possit. Nam de libri II argumento fragmentum 7, quod ad Marsorum pugnam pertinet, de libri III argumento maxime id, quod ad Aeserniam traditam spectat 30 (16), et alia pauca, quae recte ad res maritimas revocavit (Non. p. 57. 534—536), attulit. Recte etiam fr. 29 (12) interpretatus est, ipse autem in fr. 12 (10) offendit, cuius verba, quamquam ad initium belli referri posse (cf. Appian. I, 39 fin.) non negavit, accuratius tamen illustrare omisit. Haec recte ad populos contra Romanos sollicitandos, quorum plures etiam a. 664/90 ad hostes defecerunt (Liv. epit. 73), rettulisse mihi videor. Manifestum enim est, seditionis rationem paullatim[1]) explicari. Nonne socii, priusquam arma cepissent, legatos Romam miserunt, qui cum senatu de civitate Italicis danda, quamquam frustra, agerent? (App. l. supra l). Nonne ex paucis, quae de bello sociali exorto nobis tradita sunt, intellegitur, inter socios non defuisse, qui amicitiam Romanorum bello contra eos gerendo praeferrent aut dum vi cogerentur, dubitarent ad seditiosos se applicare?[2]). Neque igitur mirandum est, quod Sisenna in ipso tertio libro de sollicitandis quibusdam sociis dixit. Deinde Riesius, ut rerum ordinem a se effectum retineat, quod affert, fr. 50 (46) Bassum alium atque Asculanum illum dici, cum haec res prorsus obscura sit, dubitationem, si quae de sententia de Sisennae dispositione prolata sua oritur, sane non sustulit. Atque miror, quod (p. 60) Sisennam libro III, quippe qui res solas in Samnio et Campania gestas continuisset, Romanorum pugnam cum Gallis Salluviis ortam attigisse putavit. Nonne potius Sisennae fuit hanc rem libro II, quo de Picentibus aliisque gentibus finitimis locutus esset, describere? Id quidem cum dispositione libri alterius et tertii, qualem fuisse Riesius censet,

---

1) cf. Vellei II, 15, 1. Oros. V, 18, 8. 2) cf. quae infra ad fr. 70 adnotavi.

melius conveniret, quam illud. Videtur autem Riesius, ut id coniceret, eo adductus esse, quod Kienius (p. 190) dixit, totam belli socialis administrationem in duas partes, quae diligenter inter se essent distinguendae fuisse divisam[1]). Et profecto in altera belli sede P. Rutilius Lupus, consul a. 664/90, contra Q. Pompaedium Silonem, sociorum ducem, in altera autem L. Iulius Caesar consul contra Papium Mutilum summam obtinuit imperii. Sed utcumque res est, quamquam omnino negare nolumus, Sisennam, qui ipse se rerum potius quam temporis rationem habuisse professus sit (vid. Gell. XII, 15), in describendo bello sociali ea usum esse, tamen Riesio, qui, cum illum nimis accurate res inter se diremisse contenderit, plus quam probari potest, coniecerit, assentiri non possumus. Nam cum ex aliorum scriptorum, qui bellum sociale attigerunt, fragmentis, tum ex Livii epitomis facile intelleges, pugnas modo cum Samnitibus, modo cum Marsis vel Picentibus editas deinceps enarrari. Cur Sisenna aliter in describendis eis versaretur? Atque cum Riesii opinio de librorum II et III dispositione prolata eo, quod Sisennam libro IV, quae in utraque belli sede gesta essent, narrasse dixit, paene infirmata sit, nisi Sisenna inconstantiae crimine dignus videatur, — sententiae iam nihil obstat, quam de argumento libri III quaestione instituta supra proposui.

§ 3.

De libri quarti reliquiis et argumento.

A. Reliquiae.

57.

Non. s. v. comparare p. 256. Sisenna historiarum lib. IV: Eos, qui hoc malum publicum clandestinis consiliis comparaverunt. P. 111.

Verba ad consilia de bello sociali habita referri possunt — 'malum' hoc bellum etiam Velleius (II, 15) dicit — nec non de eis dicta esse credere licet, qui rationem miseriae plebis, quae tum aere alieno obruta esset, tollendae inierint. Nam cum bellum

1) Documento est Kienio maxime Diodor. lib. XXXVII, c. 2,

summa virium contentione esset gerendum, neque tot vestigalia propter seditionem sociorum, quot antea redirent, non solum pecunia deesse coepit (cf. Cic. de lege agr. 2, 29, 80), sed etiam malum illud vetus, quo ab initio laboravit respublica — aes alienum — denuo atque gravius incidit. cf. etiam Oros. V, 18 fin. Quo factum est, ut A. Sempronius Asellio praetor urbanus a. 665/89 debitorum causam quamquam frustra defenderet. (Liv. 74. Valer. Max. IX, 7, 4. Appian. de b. c. I, 54.)

58.

Non. s. v. longe p. 339 Sisenna histor. lib. IV: Egregias et longe praestantis ac timendas adversariorum opes esse. P. 109.

Verba facile in legibus illis vel Julia vel Papiria vel Calpurnia, quibus civitas Italicis daretur, ferendis dici potuerunt. cf. Diod. lib. 37 c. 2: *ἐν ᾗ* (Corfinii) *καὶ τὰ ἄλλα τὰ πρὸς πόλεμον ἀφθόνως ἅπαντα καὶ χρημάτων πλῆθος, καὶ τροφῆς δαψιλῆ χορηγίαν.*

59.

Non. s. v. pecua et pecuda p. 159. Sisenna historiarum libro IV: Iumenta, pecuda locis trepidare compluribus. P. 76.

Verisimile est, scriptorem hic rem futuram praedixisse. Nam ostenti loco habuisse Romanos, quod pecora vagabantur, cum ex aliis locis, tum ex eis scimus, quibus prodigia, quae bello Marsico antecesserint, enumerata sunt. cf. fr. 5 ann. Quare verbis illis periculum novum, quod Romanis instaret, indicatum videtur esse.

60.

Non. s. v. apud p. 68 Sisenna historiographus libro IV: Dum pristinum vitium apud ignem per sudorem corpore exhauserunt. P. 116.

Quam rem hic Sisenna commemoraverit, nescimus.

61.

Non. s. v. apisci p. 68 Sisenna historiographus libro IV: Itaque postero die legatos Iguvium redeuntis apiscitur. P. 94.

'deligato siguvium' quae verba praebent codd. Leid. (L) Wolfenb. vel Guelferb. (W) Laur. (F) in 'die legatos Signiam' — quae erat Latii urbs — Iunius correxit. Iguvium vulgo legitur.

62.

Non. s. v. iusso p. 130 Sisenna historiarum libro IV: Ta-

men Tudertibus senati consulto et populi iussu dat civitatem. P. 119.

Tribuimus hoc fragmentum codd. Leidensi et Parisino n. 7667 libro IV, qui aptior hoc loco est, quam liber III, quem produnt codd. W et F.

63.

Non. s. v. proicere p. 162 Sisenna historiarum libro IV: Tum postquam apud Iguvinos ac Perusinos eius facti mentionem proiecit. P. 95.

Fragmenta 61—63 sine dubio ad res in Umbria et Etruria gestas spectant. De his gentibus vel sollicitandis vel pacandis dici iam Kienius (p. 226) probe coniecit. Verisimilius tamen est, quod etiam Riesius putat (p. 62), verba ad pacandas eas revocanda esse ita, ut Pompeius consul vel legatus eius id operam dedisse intellegatur, cum L. Porcius Cato, illius collega, Appiano teste (I, 50) iam hieme ut videtur ineunte a. 665/89 cecidisset. Quod Tudertibus civitas data esse dicitur, eos pacatos fuisse apparet. Nam hi ut Iguvini in sociis, qui a Romanis bello Marsico defecerint, enumerantur [1]. Quare Kienius (p. 224), qui ex vocabulo 'tamen' eos arma cepisse opinatus esset, recte coniecisse videtur, civitatem lege Calpurnia eis datam esse. Nam lege Iulia Tudertes, nisi defecissent, ipsos civitatem accipere potuisse neque eam a magistratu Romano eis concedendam fuisse, etsi probabile sit, etiam L. Iulium Caesarem consulem legem suam senatus consulto ad populum tulisse. Inde sequi videtur, lege Calpurnia duci licuisse, civitatem *cunctis* etiam *civitatibus* dare.

64.

Non. s. v. deducere p. 289 Sisenna historiarum lib. IV: Ab armis recedere, praesidia de locis deducere. P. 97.

65.

Non. s. v. necessitudo p. 354 Sisenna hist. lib. IV: Id me neque metu neque calamitatis necessitudine inductum facere. P. 98.

Verba ad colloquium, quod inter duces utriusque partis de pacis condicionibus factum est, pertinent. Conferri potest Cicero, qui in oratione Philippica (12, 11, 27) colloquio tali, quod inte

1) De civitatibus, quae bello sociali a Romanis defecerant. vid. Beloch l. c. p. 40.

Cn. Pompeium consulem et P. Vettium Catonem, Marsorum ducem, habitum esset, cum ipse tiro in illius fuisset exercitu, se interfuisse narrat. Tum frustra eos de pace egisse vel inde apparet, quod Marsi iterum pluribus proeliis fracti pacem petierunt. (Liv. epit. 76).

66.

Non. s. v. opinio p. 356 Sisenna hist. lib. IV: Popedius opinione frustrata. P. 102.

Fragmentum etiam ad colloquium de pacis legibus inter Q. Pompaedium Silonem et ducem aliquem Romanorum habitum, quod ad irritum ceciderit, referendum esse puto, nisi Kienius (p. 203 ann.) rectius ad Marsos revocavit, qui Pompaedio duce, cum Etrusci praeter opinionem auxiliis eorum sese non adiunxissent, initio a. 665/89 re infecta ex Etruria rediissent. (Appian. I, 50) Pompeius enim, qui ab Asculo profectus eorum expeditionem secutus erat, magnam eis cladem intulerat. cf. Orosius V, 18, qui hanc pugnam cum eruptione Asculanorum narratione sua coniunxit.

67.

Non. s. v. protinus p. 376 Idem [Sisenna] libro IV: Castra de planitie convertit in montes, ut † crebro ferculis protinus procedundo posset intra fines Aesculapiorum pervenire. P. 51.

Iam Riccobonus praeter alia fragmenti verba, quae nunc restituta vides, falsam lectionem 'Aesculapiorum', cuius maxime mutatione variae loci explicationes positae sunt, correxit in 'Aesulanorum'. Putavit igitur hic agi de ducis alicuius expeditione facta in Aesulam vel Aesulum in montibus Aequicis situm. Popma, qui ut 'Salapiorum' [Salapinorum] legeres voluit, Salapiam urbem Apuliae Dauniae, in quam expeditio susciperetur, intellexit. Peter (p. 285), qui duas nobis lectiones praebet aut 'Asculanorum' quod iam Iunius proposuerat aut 'Aeculanorum' quod Rothius coniecit, duos Appiani locos affert, e quibus unum (I, 47 fin.) cum ad a. 664/90 spectet, iam supra tractavimus. cf. fr. 34. Alter autem est hic (I, 51): *Σύλλας δ' ἐς ἔθνος ἕτερον Ἱρπίνους μετεστρατοπέδευε καὶ προσέβαλλεν Αἰκουλάνῳ. οἱ δὲ Λευκανοὺς προσδοκῶντες αὐτῆς ἡμέρας σφίσιν ἐπὶ συμμαχίαν ἀφίξεσθαι, τὸν Σύλλαν καιρὸν ἐς σκέψιν ᾔτουν.* Haec res a. 665/89 tribuenda est. Denique Kienius (p. 203 ann.) opinatus est, verba ut fr. 66 pertinere ad exercitum illum Marsorum, qui initio a. 665/89 ex Etruria, in quam exitu

a. 664/90, ut novos belli socios sibi conciliaret, missus erat, infecta re redire coactus est.

68.

Non. s. v. concubia nocte p. 91. Sisenna histor. lib. IV: Ipsi legati concubia nocte oppido digressi iam sub hostium munitionem succedunt. P. 93.

'sub' vocabulum Peter scripsit pro tradito 'supra'. Riesius (p. 62) coniecit pro verbis 'supra hostium munitionem' legendum esse 'supra ostium munitionem', inde cum munitio ipsius exercitus, a quo legati missi erant, intellegeretur, obsessionis notio deesset.

69.

Non. s. v. conducere p. 274. Sisenna historiarum libro IV: Quid in rempublicam suam maxume conducere videretur. P. 77.

70.

Non. s. v. civitas p. 429. Sisenna hist. lib. IV: Denique cum variis voluntatibus incerta civitas trepidaret. P. 78.

Legatos (fr. 68), qui de pace agerent, missos esse, ex primis libri IV fragmentis conicere licet, quae ad consilia de bello componendo habita pertinere supra vidimus. Haud dubie autem fr. 70 legis Iuliae vel aliarum rogationum, quae hanc — qua Romani exitu a. 664/99 initium civitatis sociis dandae fecerant — deinceps sequerentur, eventus illustratur. His enim legibus cum civitati sociorum cuique facultas data esset, cum Romanis pacis faciendae, fieri non potuit, quin seditio languesceret. Quamquam non defuerunt, qui bellum continuandum esse censerent, ut Romanorum opes omnino frangerent, moderati tamen sociorum, qui pacem bello praeferrent, implacabilibus illis tum maiore effectu resistebant. Ad has autem partes, quibus civitas aliqua divisa est[1]), fragmentum illud spectare nemo negabit.

71.

Non. accus. num. s. pos. p. 495. Sisenna histor. lib. IV: Qui tamen quibus † laetibus foedera maiorum suum dissoluta. P. 112.

---

1) Discordiae sociorum indicia iam cum bellum exardesceret, invenimus apud Diodorum (37, 19. 20) et Cassium Dionem (98, 3 Dind). Deinde Minutii Magi defectio et res Asculi in oppido tum obsesso gestae dignae sunt, quae commemorentur. (Vellei. II, 16; Appian. I, 48.)

72.

Non. s. v. illex p. 10. Sisenna hist. libro IV: Armis, equis, commeatibus nos magis iuverunt exleges: et minus honore dignos putabitis? P. 113.

Haec verba quin ad orationes in senatu vel in contione alia habitas eorum, qui de civitate sociis danda deliberent, referenda sint, dubitari vix potest. In utramque autem partem nescio an dicantur. Atque altero quidem fragmento senator gentem aliquam foedus a maioribus eius cum Romanis ictum fregisse monet, ut civitate digna esse non videatur, altero orator alius gentem dicit, quae, cum populo Romano subsidia tulerit, civitate sit donanda. Ita enim hic orator rationem habuisse videtur sociorum, qui questi essent, quod, quamquam bello exorto duplici numero militum equitumque functi essent, tamen in eius civitatis ius non reciperentur, quae ipsorum opibus ad tantam potentiam pervenisset. cf. Vellei. II, 15 init. Eutrop. V, 3 (2) 1.

73.

Non. s. v. cistas p. 91. Sisenna historiae libro IV: Cistasque, quae erant legum ferendarum gratia positae, deiecerant. P. 118.

74.

Non. s. v. silentium p. 449. Sisenna histor. lib. IV: Silentium oritur. P. 121.

Verba fr. 73 de eis dicuntur, qui vi, quominus suffragii latio fieret, impediverunt. Sine dubio duo haec fragmenta ad turbas illas civiles a. 665/89 et contentiones de legibus perferendis vel exercendis pertinent, quibus diversarum in republica aut in senatu partium sententiae et voluntates explicatae sunt.

75.

Non. s. v. centones p. 91. Sisenna historiarum libro IV: Puppis aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur. P. 107.

76.

Non. s. v. caecum p. 449 (iteravit fr. s. v. horrendum p. 423 ex libro III): Sisenna histor. lib. IV Subito mare persubhorrescere caecosque fluctus in se provolvere leniter occepit. P. 104.

77.

Non. s. v. myoparo p. 534 Sisenna histor. lib. IV: Navisque triginta biremis, totidem myoparonas. P. 106.

78.

Non. s. v. faselus p. 534 Sisenna histor. lib. IV: Prores actuariae tragi grandes ac faseli primo. P. 105.

Fragmenta modo enumerata ex ea operis parte petita sunt, qua Sisenna res maritimas a. 665/89, quo demum Romani classi praeter oras Campaniae et Apuliae vagabantur, ut exercitus in urbibus maritimis recuperandis adiuvarent, attigit. cf. Momms. Hist. Rom. II p. 235 ann. — De Stabiis expugnatis et dirutis vid. Plin. nat. hist. III, 9.

79.

Non. s. v. labra p. 449 Sisenna histor. lib. IV: Innoxios trementibus artubus repente extrahit atque in labro summo fluminis, caelo albente .... P. 103.

Quasi orationis particulam fragmentum adhibent codd. Leid. Wolfenb. Leid. 2 (V), cum 'extrahis' formam habeant. Contra Iunius scripsit 'extrahit sistitque'. — Quam rem hic commemoraverit scriptor nescimus [1]). Dixerit quispiam pertinere verba ad hostium ducem aliquem, qui in captis Romanis vel in eis Italicis, qui Romanis fidem praestitissent, crudelitatem exercuit. cf. Diod. 37 c. 19—20 Dio C. fr. 98, 3. Quod fluvius commemoratur, Dionis, qui de Picentium iniuriis sociis, qui a Romanorum starent partibus, illatis loquitur, locus rei aptior est, ita ut Truentus, quem ad fluvium Asculum situm fuisse constat (Plin. nat. hist. 3, 13 (18) 7, 43 (44), intellegendus sit. Sed res prorsus incerta est, neque huic coniecturae multum tribuimus, cum Sisenna res eiusmodi, quae initio belli accidissent, quarto demum libro haud facile attigerit.

80.

Non. s. v. crebritudinem p. 91 Sisenna historiae libro IV: Nam clandestina celeriter transigi, apud notos cogitata dici decet, non explanari. P. 122.

Verba videntur vel ad senatum vel ad colloquium aliquod referenda esse. Potuit ea etiam historicus dicere, qui aliqua de re sane nobis ignota secum consideravit.

81.

Non. s. v. dubitatim p. 98 Sisenna historiarum libro IV:

---

1) cf. Mommsen, H. R. III p. 611 ann.

Quod hostem non dubitatim cum pluteis ac scalis iter facere cernebat. P. 75.

82.

Non. s. v. caementa p. 92 Sisenna historiae libro IV: Formidine oppressus, quod humilem caementis instructum oppidi murum sciebat. P. 79.

83.

Non. s. v. fluvius p. 207 Sisenna historiarum libro IV: Quod oppidum tumulo in excelso loco propter mare parvis moenibus inter duas fluvias infra Vesuvium conlocatum. P. 53.

Sunt autem haec flumina Veseris et Sarnus, inter quos oppida Herculaneum et Pompeii atque vici Retina et Oplontiae sita erant haud procul radicibus Vesuvii montis (cf. Liv. 8, 8, 19. Plin. 3, 5 (9), 62 Strabo V, 4, 8).

84.

Idem [Sisenna] eodem: Transgressus fluvium, quae secundum Herculaneum ad mare perfluebat. P. 54.

85.

Non. s. v. finis p. 205 Sisenna historiarum libro IV: Et prope mediam ad finem ripae pervenerant. P. 59.

Verisimillimum est fr. 81—85 agi cum de aliis Campaniae urbibus maritimis recuperandis tum de Herculaneo, quod Minatius Magus simul cum T. Didio cepit, cum Sulla Pompeios oppugnaret et Compsam occuparet. cf. Vellei. II, 16. Appian. I, 50: *Λεύκιος δὲ Κλοέντιος Σύλλᾳ περὶ τὰ Πομπαΐα ὄρη στρατοπεδεύοντι μάλα καταφρονητικῶς ἀπὸ σταδίων τριῶν παρεστρατοπέδευε. καὶ ὁ Σύλλας τὴν ὕβριν οὐκ ἐνεγκὼν, οὐδὲ τῶν ἰδίων τοὺς χορτολογοῦντας ἀναμείνας ἐπέδραμε τῷ Κλοεντίῳ. καὶ τότε μὲν ἡττώμενος ἔφευγε προσλαβὼν δὲ τοὺς χορτολογοῦντας τρέπεται τὸν Κλοέντιον κτλ.*

86.

Non. s. v. fera vite p. 113. Sisenna historiarum libro IV: Et partim fera vite, partim lauro et arbusto ac multa pino ac myrtetis abundant. P. 61.

Verba, quibus regio describitur, si conicere licet, ad Campaniam refero, quam fecundissimam Italiae terram iam a veteribus laudatam esse constat. cf. Tibull. I, 9. 33.

87.

Non, s. v: foramen p. 113. Sisenna historiarum libro IV:

Neque porta neque ullum foramen erat, qua posset eruptio fieri. P. 86.

Fragmentum ad urbem obsidione cinctam pertinet.

88.

Gell. XI, 15, 7. Sisenna in quarto historiarum eiusdem figurae verbo ita usus est: Populabundus, inquit, agros ad oppidum pervenit. P. 55.

89.

Non. s. v. populat p. 471. Sisenna histor. lib. IV: Protinus agros populabundus ad Nuceriam converit. P. 56.

Verba optime cum eis componuntur, quae Appianus (I, 42) de Papio Mutilo Campaniam Romanis eripiente prodidit: *Πάπιος δὲ καὶ Σταβίας εἷλε καὶ Λίτερνον καὶ Σάλερνον, ἣ Ῥωμαίων ἄποικος ἦν· καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν αἰχμαλώτους τε καὶ δούλους ἐστράτευεν. ὡς δὲ καὶ Νουκερίας τὰ ἐν κύκλῳ πάντα κατέπρησεν, αἱ πλησίον αὐτῷ πόλεις καταπλαγεῖσαι προσετίθεντο, στρατιάν τε αἰτοῦντι παρέσχον ἐς μυρίους πεζοὺς καὶ ἱππέας χιλίους.* cf. Florus II, 6 III, 18. Sed iure de libri numero dubitamus (vid. Peter p. 286), quo quarto demum libro Sisennam hanc expeditionem attigisse, quae a. 664/90 facta sit, improbabile est. Pertinere potest locus ad L. Cluentium contra Sullam, qui apud Pompeios castra posuerat (App. I, 50), proficiscentem. Quod quidem, cum altero anno belli accidisset, cum libri numero a Nonio allato melius conveniret. Cum autem Nuceria etiam Umbriae fuerit urbs, fieri potest, ut haec, non Campana illa urbs intellegenda sit.

90.

Non. s. v. materes p. 556. Idem [Sisenna] lib. IV: Galli materibus aut lanceis tamen medium perturbant agmen. P. 71.

'Galli' Peter restituit (cf. fr. 18), 'alii' pro lectione prodita 'ali' vulgo edebatur.

91.

Non. s. v. carra p. 195. Sisenna historiarum libro IV: Impedimentum collocant omne, construunt carros et sarraca crebra disponunt. P. 61.

92.

Non. s. v. molimentum p. 142. Sisenna historiarum libro IV Contra magno cum molimento ac perpetuo sonu procedu P. 72.

93.

Non. s. v. certamen p. 196. Sisenna historiarum libro IV: Iaculis celeriter consumptis ad gladios certationem revocaverunt. P. 70.

Quod iterum Galli commemorantur, fortasse ei intellegendi sunt, qui in exercitu Italicorum mercede stipendia merebant. Quare Riesio (p. 61 ann.) assentior, qui mercennarios Cluentii dici arbitratur. vid. Appian. I, 50: *προσλαβὼν [Σύλλας] δὲ τοὺς χορτολογοῦντας τρέπεται τὸν Κλοέντιον· ὁ δ' αὐτίκα μὲν ποῤῥωτέρω μετεστρατοπέδευεν· ἀφικομένων δ' αὐτῷ Γαλατῶν, αὖθις ἐπλησίαζε τῷ Σύλλᾳ, καὶ συνιόντων τῶν στρατῶν κ. τ. λ.*

94.

Non. s. v. expediti p. 58. Sisenna historiae libro IV: Inermos armati, impeditos expediti sine ullo suorum vulnere cunctos interficiunt. P. 73.

Verba respondent verbis Appiani (I, 50 fin.), qui fugam Cluentii a Sulla victi ita describit: *παραλυθείσης δὲ τῆς τάξεως οὐδ' ὁ ἄλλος ὅμιλος ἔτι τοῦ Κλοεντίου παρέμεινεν, ἀλλ' ἔφευγεν ἐς Νῶλαν ἀκόσμως. καὶ ὁ Σύλλας αὐτοῖς ἑπόμενος, ἔκτεινεν ἐς τρισμυρίους ἐν τῷ δρόμῳ, καὶ τῶν Νωλαίων αὐτοὺς μιᾷ πύλῃ δεχομένων, ἵνα μὴ οἱ πολέμιοι σφίσι συνεσπέσοιεν, ἑτέρους ἔκτεινεν ἀμφὶ τοῖς τείχεσιν ἐς δισμυρίους· καὶ σὺν τοῖσδε Κλοέντιος ἀγωνιζόμενος ἔπεσε.*

95.

Non. s. v. proprium p. 361. Sisenna historiae lib. IV: Victoribus proprie spem, victis adversae fortunae maiorem formidinem obiecit. P. 67.

Verba cum aptissime de Romanis dici possent, qui suo Marte pugnare coepissent, placet Appiani (I, 51) locum conferre hunc: *οἱ δὲ [Αἰκουλάνοι] δείσαντες τὴν πόλιν παρεδίδουν καὶ τήνδε μὲν ὁ Σύλλας διήρπαζεν, ὡς οὐκ εὐνοίᾳ προσελθοῦσαν, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης· τῶν δ' ἄλλων ἐφείδετο προστιθεμένων μέχρι τὸ Ἱρπίνων ἔθνος ἅπαν ὑπηγάγητο.*

96.

Non. s. v. expedire p. 296. Sisenna historiarum libro IV: Funis expediunt, claustra foribus imposita periclitantur P. 84.

97.

Non. s. v. permittere p. 162. Idem [Sisenna] libro IV: Multi praemissis armis ex summo se permitterent. P. 85.

98.

Non. s. v. evadere p. 294. Sisenna historiarum lib. IV: Cohors una passim concitata, qua murus erat interruptus, evadit. P. 87.

99.

Non. s. v. cogere p. 264 Sisenna historiarum libro IV: Summoti et intra moenia rursum coacti. P. 88.

100.

Non. s. v. integrare p. 127. Sisenna historiarum libro IV Ultro citroque integrant in oppido caedem. P. 89.

101.

Non. v. subigere p. 400. Sisenna hist. lib. IV: Terrore perturbatam multitudinem subigunt. P. 96.

Haec fragmenta ad expugnationes urbium pertinere apparet. Haud inepte inseruntur Appiani (I, 51 sub fin.) narrationi Boviani a Sulla expugnati: *ὁ δὲ Σύλλας — — — ἐς Βουάνον παρῆλθεν, ἣ κοινοβούλιον ἦν τῶν ἀποστάντων. τρεῖς δ' ἄκρας τῆς πόλεως ἐχούσης καὶ τῶν Βουάνων ἐς τὸν Σύλλαν ἐπεστραμμένων· περιπέμψας τινὰς ὁ Σύλλας, ἐκέλευε καταλαβεῖν ἥν τινα τῶν ἄλλων δυνηθεῖεν ἄκραν, καὶ καπνῷ τοῦτο σημῆναι. γενομένου δὲ τοῦ καπνοῦ συμβαλὼν τοῖς ἐκ μετώπου, καὶ μαχόμενος ὥραις τρισὶ καρτερῶς, εἷλε τὴν πόλιν.* Cogitari etiam potest de alio exercitu Romano, qui populum seditiosum domuerit, ut Cn. Pompeii exercitus, qui Vestinos in deditionem accepit (vid. Liv. epit. 75).

102.

Non. s. v. ver sacrum p. 552. Sed Sisenna religiosum dicit histor. lib. IV: Quondam Sabini feruntur vovisse, si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos. P. 99.

103.

Non. s. v. damnare p. 277 Sisenna historiarum lib. IV: Quo voto damnati fetum omnem dicuntur eius anni statim consecrasse P. 100.

Riesius Sisennam in describendis rebus in Etruria et Umbri gestis putat (p. 62) adductum esse, ut hoc ver sacrum Sabin

rum commemoraret. Sed cum scriptorum, qui illa aetate floruerunt, moris a proposito suo digrediendi vestigia paene nulla exstent, verba potius ex oratione petita esse putaverim, cui *ea inseri posse mihi quidem videantur*. Constat enim non solum Romanos, sed etiam alios Italiae populos, cum pericula magna imminuerunt, in vovendo vere sacro haud mediocre auxilium res bene gerendi quaesivisse. Placatis, ut credebant, deis excitati a sacris ad arma concurrerunt confisi illorum subsidium sibi non defuturum esse. Quae cum ita sint, nonne Sisenna illa verba Samnitem vel Italicum alium in contione loquentem facere potuit, quibus hic, cum respublica verso Marte malis undique ingruentibus conflictaretur, populum hac clade publica liberari non posse, nisi vere sacro vovendo demonstraret? Quamquam id etiam conicimus, probare nequimus. De eodem Sabinorum vere sacro — quem morem Italicum Festus saepius atque Servius, alii occasione data commemorant — etiam Strabo (V, 4, 12) scripsisse videtur: *Περὶ δὲ Σαυνιτῶν καὶ τοιοῦτός τις λόγος ἐκφέρεται, διότι πολεμοῦντες Σαβῖνοι πολὺν χρόνον πρὸς τοὺς Ὀμβρικοὺς, εὔξαντο, καθάπερ τῶν Ἑλλήνων τινὲς τὰ γενόμενα τῷ ἔτει τούτῳ καθιερῶσαι. νικήσαντες δὲ τῶν γενομένων τὰ μὲν κατέθυσαν, τὰ δὲ καθιέρωσαν· ἀπορίας δὲ γενηθείσης, εἶπε τὶς, ὡς ἐχρῆν καθιερῶσαι καὶ τὰ τέκνα. Οἱ δ' ἐποίησαν τοῦτο, καὶ τοὺς γενομένους τότε παῖδας Ἄρεως ἐπευφήμισαν, ἀνδρωθέντας δ' ἔστειλαν εἰς ἀποικίαν, ἡγήσατο δὲ ταῦρος κτλ.*

104.

Non. s. v. supersedere p. 40 Sisenna historiarum libro IV: De virtute eorum accusanda proloqui supersederunt. P. 108.

Verisimile est, verba ducum esse, qui consilio deliberantium interfuerunt, utrum militibus quibusdam pro stipendiis, quae meriti essent, civitas daretur, necne. Hanc lege Calpurnia militibus esse concessam supra vidimus. cf. fr. 44.

105.

Non. s. v. enixim p. 107 Sisenna historiarum libro IV: Ego illos malos et audaces semper enixim contra fortunas atque honores huius ordinis omnia fecisse ac dixisse sentio. P. 110.

Kienius (p. 279), qui cum his verbis initium orationis pro Caelio a Cicerone habitae comparavit, senatorem ea locutum putat esse illo anno, quo lex de seditiosis consceleratisque civibus data sit, qui armati senatum obsederint.

106.

Non. s. v. granditatem p. 115. Sisenna historiarum libro IV: Neque aetatis granditatem neque ea meritaneque ordinis honestatem aut dignitatem sibi esse excusationi. P. 115.

Si ordinem senatum intellegimus, in verbis huius fragmenti crimen inesse videtur, quod in senatorem aliquem deferatur [1].

107.

Non. s. v. nex p. 145. Sisenna historiarum libro IV: Quoniam neque mea nex neque intercessio posse videtur illorum dementem reprimere audaciam. P. 114.

Hoc fragmentum ad eandem legem, quae ad senatum tutandum data esset, pertinere ratus Kienius censet, haec tribunum questum esse, cum haec lex prohiberet, ne vis magistratibus afferretur.

Fragmenta 105—107 quamquam accuratius explicari non possunt, tamen probant, quam incertus tum rerum Romanorum status fuerit, cum et senatus et tribunorum dignitas tantopere iaceret ut palam invicem se calumniarentur. Has autem dissensiones ad res sociales pertinuisse vix est, quod moneam. — Ad illustrandum fr. 105 cf. similis ei Ciceronis locus, de orat. III c. 1.

108.

Non. s, v. testudines p. 58. Sisenna historiarum libro IV: Gaius Titinius quidam, cui † minus proprietas menis ab natura tradita videretur, primo ante testudinem constitit, deinde aput consulem caussam atque excusationem praeferre coepit. P. 52.

Ad quam rem fragmentum hoc corruptum pertineat, Peter solus demonstrare conatus est (cf. Mus. Rhen. XXII p. 153 et fr. edit. p. 285.) Quod C. Titinius quidam in historia belli socialis non commemoratur, at C. Titius apud Cassium Dionem (fr. 100 p. 90 Bek.), qui eum seditionem contra L. Porcium Ca-

1) Haec etiam verba de Mario dici potuerunt aut ab eis, qui quod ille res bello tardius gereret, vituperabant (cf. Plut. Mar. c. 33. Liv. 74. Cassius Dio fr. 98, 2 Dind.), aut ab eis, qui de senis ludis in camp Martio gymnicis, quibus quotidie se adhuc esse idoneum ad imperium co tra Mithradatem adipiscendum ostentaret, indicabant. cf. Plut. Mar. c. med. vide et c. 28 init., quo loco οὐ μόνον παρὰ τὸν ὄγκ καὶ τὸ κοινὸν ἀξίωμα τῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ καὶ παρα τ αὑτοῦ φύσιν consulatum sextum petiisse narratur. cf. fr. 38, 41.

tonem consulem inter huius milites a. 665/89 movisse tradit, cum ad similem rem fragmentum sine dubio revocandum sit, Peter 'Titinii' loco 'C. Titium' scribendum putat esse. Deinde enuntiatum relativum fragmenti, in quo iamdudum offenderunt viri docti [1], 'cui † minus proprietas menis ab natura tradita videretur' Dionis verbis: *τῇ τε παῤῥησίᾳ μετ' ἀναισχυντίας κατακορεῖ χρώμενος* explicans sententiae accommodatum ita reddidit: 'cui inmensa ('ingens' scrips. Peter in fr. edit.) procacitas mentis ab natura tradita videretur'. Sunt autem Dionis verba haec: *ὅτι Κάτων ἀστικὸν καὶ ἀφηλικέστερον τὸ πλεῖον τοῦ στρατοῦ ἔχων ἐς τὰ ἄλλα ἧττον ἔῤῥωτο καί ποτε ἐπιτιμῆσαί σφισιν, ὅτι μήτε τὰ παραγγελλόμενα προθύμως . . ἤθελον, ἐπιτολμήσας ὀλίγου κατεχώσθη βληθεὶς ὑπ' αὐτῶν. καὶ ἐτεθνήκει γ' ἄν, εἰ λίθων εὐπορήκεσαν. ἐπειδὴ δὲ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ συνειλέχατο, ἐγεγεώργητο καὶ δίυργον κατὰ τύχην ἦν, οὐδὲν ὑπὸ βώλων ἔπαθεν. συνελήφθη δὲ ὁ τῆς στάσεως ἄρξας Γάϊος Τίτιος, ἀνὴρ ἀγοραῖος καὶ ἐκ δικαστηρίων τὸν βίον ποιούμενος, τῇ τε παῤῥησίᾳ μετ' ἀναισχυντίας κατακορεῖ χρώμενος, καὶ ἐς τὸ ἄστυ ἐς τοὺς δημάρχους ἐπέμφθη, οὐκ ἐκολάσθη δέ.*

Disciplinae autem exercituum Romanorum lapsae exempla in bello sociali plura exstant. Audimus enim P. Rutilium Lupum consulem, cum proditionem a militibus metuisset, ad senatum de hac re rettulisse (Cassius Dio fr. 98 Dind.), Marium milites suos ignaviae accusavisse (Plut. Mar. c. 33), A. Postumium Albinum legatum, qui ipse proditionis crimine infamis esset, ab exercitu suo interfectum esse. Liv. 75. Valer. Max. IX, 8. Plut. Sulla c. 6. Oros. V, 18, qui illum intolerabili superbia militibus invisum fuisse prodit.

109.

Non. s. v. exinanita p. 107. Sisenna historiarum libro IV: Denique exinanitis castris Romani, qui clauso se loco potuerant expedire. P. 66.

Fortasse verba pertinent ad eandem rem, quam Frontinus (strateg I, 5, 17) prodidit, L. Sullam, cum apud Aeserniam inter angustias a Papio Mutilo deprehensus cum eo de pacis conditionibus frustra agitasset, indutias tamen impetrasset, hostibus neglegentia resolutis, qui hoc dolo decepti essent, nocte profectum in-

---

[1]) Hauptius in Herm. III p. 341 'cui minus sobria mens a nat. tr. v.', 'proferre' Rothius et Hauptius l. s. scripserunt.

columem exercitum cum omnibus impedimentis tormentisque in tuta perduxisse. — Ceterum Romanis bello Italico saepius accidisse, ut ab hostibus circumvenirentur, ex aliis etiam exemplis discimus, quae Livius (epit. 73 med.) et Plutarchus (vit. Marii c. 33 = Liv. epit. 74: Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit?) protulerunt.

110.

Non. s. v. componere p. 257. Sisenna historiarum lib. IV: Exercitum dispertiunt, ad confligendum se comparant. P. 63.

111.

Non. s. v. crepare p. 255. Sisenna historiarum libro IV: Conglobati et collecti concrepant armis. P. 64.

112.

Non. s. v. insinuari p. 58. Sisenna historiarum libro IV: Agmen perturbatum peditis insinuant ac loco commovent. P. 68.

113.

Non. s. v. protelare p. 363. Sisenna hist. lib. IV: Duae cohortes de subsidio procedunt atque equites protelant. P. 69.

114.

Non. s. v. discedere p. 99. Sisenna historiarum libro IV: Armati dextera ducti magisque in latitudinem discedunt. P. 57.

115.

Non. s. v. constat p. 273. Sisenna hist. lib. IV: Multitudinem procul hostium constare viderunt. P. 58.

116.

Non. s. v. amolimini p. 73. Sisenna historiae libro IV: Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur. P. 74.

Idem fr. habetur etiam glossario Vergiliano a Barthio edito in advers. 37, 5 (repetito a Lione Serv. II p. 373 sq.) omissis tamen libri numero et v. 'de cunctis'. — Fragmenta 110—116 ita comparata sunt, ut ad pugnam quamlibet referri possint, accuratius igitur illustrari nequeant.

117.

Non. s. v. malleoli p. 556. Sisenna histor. lib. IV: De qui bus partim malleolos, partim fasces sarmentorum incensos sup vallum frequentes. P. 83.

De oppido vel de castris oppugnandis cum Sisenna disp tasse videatur, difficile dictu est, quae res sit intellegenda. Cast incensa esse Appianus tradidit (I, 47), ut supra, cum de pug

ad Firmum gesta locuti simus, vidimus (cf. fr. 34.) Sed fragmentum propter libri numerum, qui ei est additus, ad alia castra oppugnanda pertinet: Cicero (de divin. I, 33) [1]) et Valerius Maximus (I, 6 § 4) Sullam magna Samnitium castra ante Nolam oppidum expugnasse narrant, eademque Livius (ep. 75), nisi quod bina illorum castra commemoravit, dixisse videtur. Deinde castra Marsorum, in quibus oppugnandis L. Porcius Cato consul cecidit (Liv. ibid.), itemque ea, in quibus obsidendis A. Gabinius legatus occisus est (Liv. epit. 76. Oros. V, 18), intellegi possunt.

[1]) cf. Peter p. 199 fr. 9 et 10 et ann. ad fr. 9, deinde vid. etiam Augustin. de civ. dei II, 24.

118.

Non. s. v. festinatim p. 514 Sisenna histor. lib. IV: Praetor festinatim de castellis ad castra maxima peditis conducit. P. 65.

Dubium est, utrum hic praetor pro Romanorum, an pro Italicorum duce habendus sit. Pertinere nescio an possint verba ad rem prope Asculum factam. Haec enim ipsa urbs munita erat neque procul ab ea in ora maris Adriatici castella deinceps sita: Castrum Firmum, Castrum Truentum vel Truentinum, Castrum Novum. cf. etiam ea, quae ad fr. 101 expl. attuli.

119.

Non. s. v. secus p. 222. Sisenna hist. libro IV: Tum in muro virile ac muliebre secus populi multitudine omni collocata. P. 80.

Verba ad tradendam urbem spectare videntur.

120.

Non. s. v. cataphractae p. 556. Sisenna histor. lib. IV: Custodiae in muro statuuntur cataphractarum. P. 81.

121.

Non. s. v. falces p. 556. Sisenna histor. lib. IV: Falces iniectas comminuunt, pluteos propius collocatis harpagis deiciunt. P. 82.

122.

Non. s. v. contendere p. 258. Sisenna hist. lib. IV: Simul et tormenta contenduntur. P. 90.

123.

Non. s. v. periculum p. 364. Sisenna hist. lib. IV: Pericli-

tantur tormenta ac tela multaque genera machinamentorum P. 91.

124.

Non. s. v. ballistae p. 555. Sisenna histor. lib. IV: Ballistas quattuor talentarias. P. 92.

Fragmenta 120—124 et de urbium oppugnatoribus et de obsessis, qui se defenderunt, intellegenda sunt. Ad Asculum autem, quod exitu a. 665/89 Pompeio traditum esse constat (Liv. 76. Oros. V, 18 fin.), utrum ea recte revocentur an ad res a Cosconio et Lucceio in Samnitium finibus gestas dubitare licet. (Liv. 75).

125.

Non. s. v. laetare et laetiscere p. 133 Sisenna libro IV: Utrumne divi cultu erga se mortalium laetiscant, an superna agentes humana neglegant. P. 123.

Qua de causa Sisenna hanc sententiam, quae Epicureorum doctrina posita est, protulerit, non satis apparet. Iudicaverit nescio an de simili re atque Iulius Obsequens (c. 55) narrat, Rutilium Lupum spretis religionibus, cum in extis caput non invenisset iocineris, amisso exercitu in proelio occisum esse. — De sententia autem illa placet conferre Ciceronis locum de div. II, 50: primum enim hoc sumitis: Si sunt di, benefici in homines sunt. Quis hoc vobis dabit? Epicurusne, qui negat quidquam deos nec alieni curare nec sui? an noster Ennius? qui magno plausu loquitur adsentiente populo:

'Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,
Sed eos non curare opinor quid agat humanum genus'.

126.

Non. s. v. abunde p. 516 Sisenna histor. lib. IV: Profuse atque abunde semper usi magnum pondus auri argentique. P. 101.

127.

Fest. p. 333 s. v. scrupi M. Corne [lius Sisenna histor. lib.] IV: his tum iniect [us est levis scrupulus] et quaedam dubitatio. P. 124.

B. Argumentum.

Explicavimus, quantum fieri potest, fragmenta historiarum bri IV, nunc paucis comprehendamus, quae de illis repperim Vidimus initio libri consilia, quae de bello componendo haber

tur, narrata esse fr. 57—59 (111. 109. 76), deinde audimus, cum Pompeium consulem vel legatum in pacandis Etruscis et Umbris — quod Tudertes in civitatem accipiuntur, Iguvini ac Perusini ea de re vocari videntur fr. 61—63 (94. 119. 95) — tum Sullam in Samnitibus et Campanis subiciendis profecisse, cum urbes maritimae Campaniae, ut Herculaneum, a Romanis recuperentur fr. 83—84 (53—54), pugnae ad Pompeios et Nolam committantur fr. 89—94 (56. 71. 61. 72. 70. 73), Aeculanum diripiatur fr. 95 (67), Bovianum expugnetur fr. 96—101 (84. 85. 87—89. 96).

Iam belli fortuna ad Romanos se convertisse videtur, quod ver sacrum Italicorum commemoratur, quo hi deorum gratiam sibi reconciliabant fr. 102. 103 (99. 100). Praeter pugnas autem alias, urbium oppugnationes et obsessiones, ad quas pleraque fragmenta pertinent, turbae etiam domesticae hoc libro sunt tractatae. Hae autem sine dubio cum legibus illis de civitate sociis danda, quas ab exitu a. 664/90 deinceps latas esse vidimus, artissime cohaerent. Discimus enim ex fr. 71—74 (112. 113. 118. 121), 104—107 (108. 110. 115. 114) Romae non defuisse, qui rationes sociis quod postulabant concedendi quam vehementissime impugnarent, neque leges eiusmodi, nisi acerrimis contentionibus esse perlatas.

Haec omnia ad annum belli secundum spectare facile intellegis. Sed Sisenna utrum res a. 665/89 iam libro IV, an quinto demum absolverit, cum fragmenta libri V plane desint, nescimus. cf. Peter. p. CCCXXVIIII. Quamquam Kienius (p. 271) totum hunc annum libro IV vindicavit atque Riesius (p. 62) putavit, Sisennam hoc libro etiam pugnas, quas dissociati Italici a. 666/88 contra Romanos edidissent, ita descripsisse, ut quarto historiarum libro eadem, quae Livius libris 74. 75. parte 76. comprehendisset, attingerentur. Nam libro V Sisennam iam ad bellum civile progressum esse inde conclusit Riesius, quod cum fr. 130 (127) ex sexto libro servatum ad annum 666/88 spectaret, quo Mithradates Asiam et Graeciam provincias Romanas occupasset (Liv. 78), ille libro VI nisi ab his rebus ad orientem pertinentibus, tamen a Sulla in illas terras profecto exorsus esse putandus esset. Qua de causa Sisennae cum domesticas a. 666/88 turbas, tum Marii fugam fr. 128 (125) libro V praemittendas fuisse. Comparavit igitur Riesius Sisennae librum V cum Livii libro 77, huius autem librum 78 cum illius libro VI. Sed habemus, cur de hac Riesii sententia dubitemus. Ac primum quidem fr. 128 (125), quo Marii